Z
VII
37

K
VII
31

V
XII
96

Z
XII
53

M
II
8

Digitized by Google

SYNOPSIS
THEOLOGIÆ PRACTICÆ
COMPLECTENS ET EXPLICANS
PRINCIPIA GENERALIA
Ad reſolvendos Conſcientiæ caſus ſcitu neceſſaria.

DIGESTA EST PER QUÆSTIUNCULAS
QUÆ SERVIRE POSSINT
CONSUETIS EXAMINIBUS
ORDINANDORUM CONFESSARIORUM,
Promovendorum ad Beneficia Parochialia, per concurſum conferri ſolita &c.

AUCTORE
P. JOANNE BAPT. TABERNA,
Societatis JESU Theologo.

PARS PRIMA.

BIBL. ROM. PROF. ROM. IHS

Ex Bibl·
Ios·Ren·Card
Imperialis·

DUACI,
Ex Officinâ Typographicâ Viduæ B. BELLERI
Regis Typographi Anno 1698.

REVERENDO ADMODUM

AMPLISSIMOQUE DOMINO

D. ALBERICO BOULIT,

CELEBERRIMI ATQUE ANTIQUISSIMI

MONASTERII LAUDENSIS

PRÆSULI

LONGE' DIGNISSIMO.

Collegium Societatis JESU Duaci.

TUIS, PRÆSVL AMPLISSIME, *auſpiciis elaboratum hoc O-*

Digitized by Google

pus, tuum jam eſſe cœperat; cùm primùm illud animo Author conceperat; eo nimirùm has in moralem Theologiam elucubrationes & ſuſcepit & explevit, ut tua tùm in ſe, tùm maximè in Societatem merita hoc levi gratitudinis argumento Poſteris teſtata relinqueret. Et verò operoſum illi non fuit, ethicæ ſapientiæ ſtudium arripere, cujus, tuis in moribus præcepta, leges in exemplis, ſuavitatem in regimine cerneret; habent enim ex Te virtutum documenta, quæ petant Theologi, Philoſophi ſapientiæ regulam, Oratores dicendi copiam, omnes rectè vivendi normam & exemplum. Nul-

lius honoris avidus, omnium capax, Laudenſem Infulam meruiſſe contentus, habere contemnis; hâc unâ ratione lætus quòd ex hoc dignitatis vertice, velut è ſublimiori ſpeculâ, commiſſo gregi opportuniùs Paſtor bonus inuigiles: tuæ tamen ſubiratus virtuti quod latere neſciat. Sed obſcura eſſe illa poterit, quæ tot teſtes habet, quot ſubditos? Quam tua ſapientia apud Tyrones perſpicua eſt, quorum ceream indolem exempli potius illicio, quam verborum ſtimulis ad omnem virtutem effinxiſti! ut pietatem latè deprædicat, quo vix majorem eſt cernere toto Belgio, per te additus Templo Lau-

denſi decor! quantis prudentia tua redimita radiis affulget dicatis Deo Virginibus, quarum olim conſcientiam, Divini Numinis Chariſmatibus plenus, moderatus es! Ut totum illam ſuſpiciunt ſena celeberrima Virginum Cœnobia, quæ pari & ſapientiâ & manſuetudine gubernas! Tuam PRÆSVL MERITISSIME, *mutæ licet, meritis etiamnum efferunt encomiis Præfecturæ omnes, quibus ad Pedum præluſiſti; de illâ conticeſcent numquam Philoſophiæ Theologiæque pulpita, quæ per terna luſtra, mirâ eruditione, decoraſti. Quid mirum igitur ſi ethica ſapientia ſe hodie Tibi vectigalem*

profiteatur, qui virtutes ſcientiaſque omnes Tibi ſtipendiarias effeciſti. Diſciplinas ad omnes efformatus, propenſus ad ſingulas, liberaliores Artes in Te divinas reddis; ſapientiam intra Clauſtra ut contineas diſciplinæ chriſtianæ Atheneum aperis; ut ſubditos ad Pedum erudias. Cœnobium doctrina ſacra multiplici Lycæũ facis. Quare, dum patet in illud Theologiæ morali aditus; eam, qua olim Authorem proſecutus es, benevolentiâ complectere; & ſine, ut quæ temporum injuriis obnoxia ſunt, à tuo nomine perennitatem accipiant.

AD LECTOREM.

OPUS quidem poſthumum prodit, ſed quod ipſe Author prælo deſtinarat, & publicæ cenſuræ. Unde à Viro in Theologicis non mediocriter exercitato nihil temerè ſuſpiceris dictum. Non ægrè feram ſi identidem diſſentias, cùm quiſque in ſuo ſenſu abundet, & Theologia etiam moralis ſcateat problematicis. Sed quæſo, ne quidquam in tanto viro ut erroneum priùs improbes, quam non pauciores annos æquali eruditionis famâ, quâ ipſe tum publicus in Vniverſitate Duacenâ Profeſſor, tum ibidem altiorum ſtudiorum apud ſuos Præfectus, in Theologicis ſpeculandis principiis, eâdem aſſiduitate, iiſdemque adminiculis, ab omni aliâ curâ vacuus poſueris. Quare ſi quid fortaſſe in hoc opere aut aliis laxius aut

aliis ſtrictius viſum fuerit, meminerint utrique, id ab Authore traditum eſſe, quod, perpenſis rationum & Authoritatum momẽtis, veroſimilius viſum eſt. Neque exiſtiment, quod iniquiſſimum eſt, communem eſſe doctrinam cæterorum, quod privatus aliquis ut ſuum docuerit. Porrò farraginem hic non habes caſuum particularium, quos plures alii in compendia ſic redêgere, ut principia deſint, quibus Lector à caſu poſito ad omiſſum ratiocinetur. Sed en tibi totius Theologiæ practicæ Synopſim complectentem principia generalia, ubi ad caſus particulares ſelectiores deſcenditur quãtum neceſſe eſt, ut principia generalia explicentur, & Lector inſtruatur quomodo in praxi ſub principiis illis generalibus ſubſumendum ſit. Accedit quòd Synopſis hæc ita clara eſt, ut litterarum incapax ſit, qui eam ubique non intelligat: ita brevis eſt, ut à Viro etiam aliis rebus diſtracto poſſideri non longo tempore queat: ita ſufficiens eſt, ut eam qui probè

poſſidet, periculoſo Confeſſoris muneri tutò ſe committat. Huic Synopſi eò ſecuriùs innitêris quod omnium Propoſitionum ab ALEXAND. VII. & INNOC. XI in re morali proſcriptarum mentionem ſuis locis faciat, eaſque vitet Unam quidem & triginta Propoſitiones in eâdem materiâ damnavit à morte Authoris ALEXANDER VIII. ſed Author noſter in Reſolutionibus ſuis mentem Eccleſiæ ita feliciter aſſecutus eſt, ut hanc ALEXANDRI VIII. conſtitutionem loco approbationis hîc poſuerit verbatim Typographus.

Cæterùm quæ Author juxta communiſſimam hactenus doctrinam tradit parte 3. tract 6. cap. 1. quæſt. 10. de proprio Epiſcopo pro collatione Ordinum, conformanda ſunt novæ Conſtitutioni INNOC. XII. [quem diù Eccleſiæ ſuæ ſervet Deus incolumem] editæ poſt mortem Authoris Die 6 Nov. 1694. Interim errata leviora Typographi, quæ identidem occurrent, benignè, Lector, condonabis & corriges. VALE.

JHS

APPROBATIO
R. P. Provincialis.

EGO infraſcriptus Societatis JESU per Provinciam Gallo-Belgicam Præpoſitus Provincialis, juxta privilegium eidem Societati à Rege conceſſum, quo Provincialibus dictæ Provinciæ ſit poteſtas deligendi Typographos, qui libros à Patribus dictæ Societatis compoſitos imprimant, & facultate à R. P. Generali ad id mihi conceſsâ, poteſtatem facio Viduæ B. BELLERI compendium Theologiæ Moralis, ſeu Synopſin Theologiæ practicæ &c. *à Patre JOANNE BAPTISTA TABERNA*, ex eâdem Societate compoſitum, & à Patribus ad id deputatis, & etiam ab Ordinario legitimè approbatum, imprimendi & liberè diſtrahendi. Datum Cameraci Die octavâ menſis Februarii anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi quarti.

BALDUINUS DESRUELLES.

APPROBATIO

INſraſcriptus Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor Regius ac Ordinarius in Univerſitate Duacenâ, nec-non Seminarii Regii bonorum Paſtorum ibidem Præſes, accuratè legi tria volumina, quibus titulus eſt: *Synopſis Theologiæ practicæ &c. Authore* R. P. *JOANNE BAPTISTA TABERNA Inſulenſi è Societate* JESU, *Sacræ Theologiæ in Univerſitate Duacenâ olim Profeſſore Academico.* In iis reverà continetur Synopſis Theologiæ practicæ; ſed ſolida & perſpicua, paucis multa complectens, à laxitate, nimioque ſententiarum rigore æqualiter diſtans, Paſtoribus aliiſque animarum Directoribus inſtruendis apprimè idonea. Quare optandum eſt ut juris publici quamprimùm fiant. Datum Duaci 8. Januarii 1698.

A. DELCOURT.

DECRETUM

Feriâ 5. Die VIII. Decembris 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram Sanctiſſimo D. N. D. ALEXANDRO Divinâ Providentiâ Papa VIII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in totâ Republicâ Chriſtianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, à Sanctâ Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER Divinâ providentiâ Papâ VIII. prædictus pro Paſtorali curâ Ovium à CHRISTO Domino ſibi commiſsâ de earum ſalute ſollicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimiùm pernicioſa in

pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacrâ Theologiâ Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæriticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negocium diligenter aggreſſi, eique ſedulò, ac pluries incumbentes, ſuper unâquâque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim detulerunt.

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ videlicet.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in cauſâ ſuâ, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.
2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturę lapſæ operantem ex ipsâ, non excuſat à peccato formali.
3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.
4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.
5. Pagani, Judæi, & Hæretici, aliique

hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu-Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratiâ ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam perniciosa eſt, ſic ut proindè meritò poſſimus petere à gratia ſufficienti *Libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum naturâ, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio, quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut Cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non eſt ex fide Chriſtianâ ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis in-

tuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ dei, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ; ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, naturâ rei id ipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Eccleſiâ non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui Eleemoſynis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi, & incongruâ pœnitentiâ, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſub-

ſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt à Sacrâ Communione; quibus nondùm ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis ſuę per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quòd indiguerit Purificatione; & quòd filius, qui offerebatur; etiam maculâ Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

25. Dei Patris Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

26. Laus quę defertur Mariæ, ut Marię, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hâc formâ collatus, *In nomine Patris &c.* prætermiſſis illis, *Ego te Baptizo &c.*

28. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, *Non intendo, quod facit Eccleſia.*

29. Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium

Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla URBANI VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus maturè conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones tamquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, Hæreſi proximas, Hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpectivé, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à quâ non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti Fidelibus, cujuſcumque conditionis, Dig-

nitatis, & Statûs, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas ſua per hoc Decretum alias Propoſitiones in majori numero ultrà ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto, non expreſſas approbare.

ALEXANDER SPERONUS
S. Romanæ, & Univerſalis
Inquiſitionis Not.

Locus † Sigilli

Anno à Nativitate D. N. IESV-CHRISTI milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo, Indict. 13. die 20. Decemb. Pontificatûs autem SS. D. N. ALEXANDRI Divinâ Providentiâ PP. VIII. Anno ſecundo, ſupradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Palatii S. Officii in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Perinum SS. DD. N. PP. & SS. Inquiſitionis Curſorem.

Jo. Bapt. de Comitibus Mag. Curſ.

Juxta Exemplar Romæ impreſſum.

PARS PRIMA.

DE ACTIBUS HUMANIS, CONSCIENTIA, PECCATIS, LEGIBUS; ET VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

SYNOPSIN hanc Theologiæ practicæ in tres partes dividimus, quarum 1. eſt de Actibus humanis, Conſcientiâ, Peccatis, Legibus & Virtutibus Theologicis. 2. De Virtutibus moralibus, & Vitiis oppoſitis. 3. De Sacramentis in genere & in ſpecie: ſequuti ordinem Summæ S. Thomæ, ex quâ, quæſtionibus merè ſpeculativis de Deo Uno & Trino, de Angelis, de Gratiâ, de Divini Verbi Incarnatione, aliiſque ejuſmodi ſubtilioribus ad ſcholaſticam remiſſis, ea ſelegimus, quæ ad mores inſtruendos, & caſus conſcientiæ explicandos unicè conducunt.

TRACTATUS I.

De Actibus humanis.

CAPUT PRIMUM.

De Voluntario & Involuntario.

Q. 1. *Quid voluntarium, & quotuplex?*

R. Voluntarium eſt *cujus principium eſt in ipſo agente ſciente ſingula in quibus eſt actio.* Ita Philoſophus 3. Ethic. c. 1. & poſt illum Damaſc. & S. Th. Duo igitur requiruntur ad voluntarium. 1. Ut ſit à principio intrinſeco, hoc eſt à voluntate. Hinc ſi quis manum tuam arripiat, & eâ alium percutiat, percuſſio non eſt tibi voluntaria, quia eſt à principio tibi extrinſeco. 2. Requiritur cognitio prævia eorum, in quibus eſt actio, id eſt circumſtantiarum pertinentium ad ſubſtantiam actûs, & rationem, ſub quâ dicitur voluntarius. Hinc ſi quis ab intrinſeco ſe applicet ad explodendum in ſepem, & invincibiliter ignorans ibi latere hominem, illum occidat, non peccat peccato homicidii; quia ea occiſio non eſt illi voluntaria, defectu cognitionis. Quòd ſi ſciat ibi latere hominem, velítque in illum explodere, ſed neſciat ſuum eſſe patrem; occiſio erit illi voluntaria in ratione homicidii, ſed non in ratione parricidii.

Duplex eſt voluntarium : aliud directum, & aliud indirectum. Directum eſt illud, quod eſt à voluntate ut agente, ſeu poſitivè influente, ut cùm quis aliquid poſitivè vult, aut ex voluntatis imperio aliquid facit. Voluntarium indirectum eſt, quod aliquo quidem modo pendet à voluntate, ſed non poſitivè influente, ut omiſſio Sacri cum advertentiâ, ſed abſque poſitivâ voluntate illud omittendi. Item effectus conſequens ex aliquâ omiſſione voluntariâ, dicitur indirectè voluntarius, v.g. ſubmerſio navis ſecuta ex eo, quòd Navarchus omiſerit illam regere.

Q. 2. *Quid ſpontaneum, quid liberum, & quomodò differant à voluntario?*

R. Spontaneum dicitur, quod ſponte procedit ab appetitu ſenſitivo, ſeu rationali. Differt à voluntario ſtrictè accepto, quod, ut vox ſonat, procedit ab appetitu rationali, ſeu voluntate, cùm ſpontaneum etiam dicatur id, quod procedit ab appetitu ſenſitivo, quâ ratione etiam competit brutis.

Liberum eſt, quod procedit à potentiâ liberâ ut tali, ſeu proximè expeditâ ad agendum, & non agendum, de quâ ſpecialiter infrà. Liberum ſtrictè ſumptum non eſt idem ac voluntarium : nam omne liberum eſt voluntarium, ſed non contrà : Dantur enim quædam operationes voluntatis, quæ ſunt neceſſariæ, ut motus primo primi, amor beatificus &c. ſubinde tamen in latiori, & minùs propriâ acceptione, voluntarium uſurpatur pro libero. Ita ſumit Auguſt. de verâ Relig. c. 14. dicens, *uſque adeò peccatum, voluntarium eſt malum, ut nullomodo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.*

Q. 3. *Quid involuntarium?*

R. Illud poſſe ſumi dupliciter, poſitivè & negativè. Sumptum negativè eſt quod ſimpliciter non procedit à voluntate. Sumptum poſitivè, ſeu

contrariè definiri ſolet : *cujus principium eſt extrà, renitente paſſo.* Quæ definitio convenit cum definitione *violenti* allatâ à Philoſopho 3. Ethic. c. 1. Violentum eſt, *cujus principium eſt extrà, nihil conferente paſſo.* Ubi verba hæc, *nihil conferente paſſo.* juxta S. Th. & alios ſumi debent, non merè negativè, ſed contrariè, ut idem ſit ac, paſſo per inclinationem intrinſecam reſiſtente. Idem igitur ſunt reſpectivè ad voluntatem ly *Violentum*, & ly *involuntarium poſitivè.* Simpliciter tamen differunt, eo quòd violentum dicatur per reſpectum ad quemcumque appetitum, etiam innatum, adeoq; conveniat etiam Brutis, & rebus inanimatis. Involuntarium autem ſtrictè dicatur ſolùm per reſpectum ad appetitum rationalem, ſeu voluntatem.

Nota. quamvis hæ voces : *violentum, involuntarium, coactum* ſeu *invitum*, & *neceſſarium* ſubinde à nonnullis Patribus quoad ſignificationem confundantur (nam interdum v. g. uſurpant neceſſarium pro coacto & violento, ut dum dicunt proceſſiones in Divinis non eſſe neceſſarias &c.) in rigore tamen eſſe diſtinguendas hoc modo : 1. neceſſarium & violentum habent ſe ut magis & minùs commune ; nam omne violentum eſt neceſſarium, non contrà, cùm amor Beatificus v. g. ſit beatis neceſſarius, non violentus. 2. Violentum & coactum ſeu invitum, etiam habent ſe ut magis, & minùs commune ; nam omne coactum eſt violentum, non contrà : coactum enim propriè dicitur tantùm de agentibus cognoſcitivis, violentum etiam de inanimatis, ut antè dictum eſt ; lapis enim v. g. violentè ſurſum movetur, non tamen coactè, ſeu invitè, propriè loquendo : alioqui, reſpectivè ad voluntatem, idem ſunt violentum & coactum. 3. Involuntarium & coactum habent ſe ut excedens & exceſſum : nam nec omne coactum eſt involuntarium ſtrictè, cùm coactum etiam

competat brutis, non involuntarium: neque omne involuntarium eſt coactum; quod enim fit ex ignorantiâ antecedente, de quâ infrà, involuntarium eſt, non tamen coactum.

Collige involuntarium opponi voluntario, violentum naturali, neceſſarium libero, coactum ſpontaneo. Unde ſicut voluntarium, aut ſpontaneum confundi non debet cum libero; ita nec involuntarium aut coactum cum neceſſario.

CAPUT II.

De voluntario indirecto, ſeu omiſſione liberâ.

Q. I. *An omiſſio voluntaria, ſeu libera poſſit eſſe abſque omni actu voluntatis?*

Dico *voluntatis*, quia certum eſt non poſſe eſſe ſine omni actu intellectûs, cùm cognitio ſit de conſtitutione voluntarii, ut patet ex ejus definitione; nec omiſſio libera poteſt eſſe ſine cognitione indifferenti, ſeu indifferentiâ judicii, quæ requiritur ad omne liberum, tanquam 1ª. radix libertatis.

R. dari poteſt omiſſio voluntaria abſque omni actu voluntatis directè terminato ad objectum, ſeu effectum, qui hoc modo dicitur voluntarius. Patet: quia, ut quis voluntariè dicatur omittere auditionem ſacri, non requiritur, ut habeat hunc actum, *nolo audire Sacrum*, ſed ſatis eſt, quòd advertens obligationem ſuam, omittat audire illud, cùm poſſit & debeat. Simile eſt in navarcho, qui quamvis non eliciat ullum actum voluntatis circa ſubmerſionem navis, ea tamen eſt illi indirectè voluntaria, per hoc præcisè, quòd advertens pericu-

lum, omittat navim regere.

An autem dari poſſit omiſſio voluntaria, ſeu libera, abſque omni omninò actu voluntatis, qui ſaltem indirectè ſit ejus cauſa vel occaſio; ſive an dari poſſit (ut aiunt) pura omiſſio libera, diſputant Scholaſtici; mihi magis placet negativa, cùm non videatur voluntas, quæ eſt potentia rationalis, poſſe exercere ſuam libertatem, niſi moveatur aliquo motivo boni amabilis, vel mali odibilis, in quod tendat aliquo actu, ſeu proſecutionis, ſeu fugæ, qui actus ſit cauſa, vel occaſio omiſſionis liberæ. Quidquid ſit; hoc ſaltem certum eſt, moraliter loquendo, in ejuſmodi omiſſionibus liberis ſemper intervenire aliquem actum voluntatis liberum, quod ſufficit ad noſtrum inſtitutum.

Ex hoc principio ſequitur 1. omiſſiones liberas peccaminoſas, æquè ac peccata commiſſionis, prçter propriam malitiam, in eo ſitam, quòd liberè omittatur actus prçceptus, poſſe inſuper contrahere ſpecialē malitiā ex motivo omittēdi, ſi illud malum ſit. v. g. omiſſio ſacri ad furādum, ad fornicandum &c. præter propriam malitiam irreligioſitatis, & tranſgreſſionis præcepti, cōtinet aliam malitiam furti, fornicationis &c. in cōfeſſione exprimēdam.

Sequitur 2. omiſſionem actûs eſſe honeſtam & meritoriam, ſi motivum omittendi ſit honeſtum & ſupernaturale; quippe quæ, in quantum libera, includit affectum voluntatis honeſtum & ſupernaturalem erga motivum honeſtum. Et hoc eſt conforme ſcripturis, & Patribus ſæpè promittentibus præmium ſupernaturale propter omiſſiones. Ut Eccl. 31. *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus &c. ideo ſtabilita ſunt bona illius &c.* & contrà, ſi motivum omittendi ſit malum, omiſſio ſimiliter mala eſt, quia includit affectum erga rem malam.

Q. I. *Quid requiritur ut omiſſio ſit voluntaria?*

R. 1. Requiritur poteſtas ponendi actum, qui omittitur: nam omiſſio eatenus eſt à voluntate, quatenus voluntas habens poteſtatem ponendi actum, eum cum advertentiâ omittit: neque enim eſt à voluntate, ut à causâ phyſicâ per influxum poſitivum, ſed ut à causâ morali per influxum privativum, conſiſtentem in eo, quòd non agat, cùm pro ſuâ libertate poſſit agere. Hinc eadem ſunt omiſſio voluntaria, & omiſſio libera; quamvis enim voluntarium in genere latiùs pateat, quàm liberum, cùm dentur actus voluntatis neceſſarii, in omiſſione tamen ea convertuntur, cùm omnis omiſſio voluntaria ſit libera, & omnis libera ſit voluntaria.

Col. 1. externam omiſſionem neceſſariam (ut ſi quis in carcere, vel aliter impediatur ab audiendo ſacro) non eſſe voluntariam, quantumvis talis apud ſe dicat, nolo audire ſacrum: non audirem, etiamſi poſſem &c. quia nempè actus omiſſus non eſt in ejus poteſtate. Peccaret quidem iſte ex pravo affectu non audiendi ſacrum, ſed non formaliter peccato omiſſionis, quæ non eſt illi voluntaria, ſed peccato commiſſionis, in quantum pravos illos affectus poſitivè eliceret. Hinc ſi quæ cenſura, aut alia pœna ſit impoſita quidpiam omittentibus, non incurritur ab illo, qui poteſtatem non habet illud ponendi, quia illud non omittit voluntariè.

Col. 2. non dari omiſſiones voluntarias in amentibus, pueris, rationis uſu carentibus, dormientibus, ebriis, &c. quia in iis non eſt libertas. In duobus tamen poſtremis, quamvis ejuſmodi omiſſiones non ſint in ſe formaliter voluntariæ, defectu libertatis; ſæpè tamen ſunt voluntariæ in causâ, & illis imputantur.

R. 2. Quamvis ad omiſſionem culpabilem, ſeu peccatum omiſſionis, neceſſaria ſit obligatio ponendi actum, cujus eſt omiſſio; ea tamen obligatio non eſt neceſſaria ad omiſſionem voluntariam,

cùm, eâ ſecluſâ, omiſſio adhuc oriatur, & ſuo modo procedat à voluntate ſuo modo ſe determinante, adeóque liberè & voluntariè. Et hoc patet in Deo voluntariè permittente peccatum, ſeu omittente illud impedire, & in homine æquè voluntariè omittente ſacrum die feriali, ac die feſto. Quòd ſi ſubinde S. Tho. aut alii inſinuent obligationem illam requiri ad hoc, ut omiſſio ſit voluntaria, intelligendi ſunt de omiſſione culpabili.

Q. 2. *Quid requiritur, ut effectus ex omiſſione conſequens ſit voluntarius omittenti?*

R. 1. Requiritur ut omittens ſaltem confusè cognoſcat hunc effectum certò, aut ſaltem probabiliter ex omiſſione ſecuturum: 2. ut effectus, qui per ſe, & ex naturâ rei ſequitur ex omiſſione, ſit voluntarius v. g. fames & debilitas ex omiſſione ſumptionis cibi; ſufficit quòd ipſa omiſſio ſit voluntaria cum ſufficienti advertentiâ ad effectum, ei per ſe connexum: nam qui vult cauſam, ſive poſitivam, ſive negativam, vult, ſaltem interpretativè effectum, quem advertit eſſe illi perſe connexum.

3. Ut autem effectus, qui ſolùm per accidens ex omiſſione ſequitur, ſit propriè & ſimpliciter voluntarius, requiritur inſuper obligatio illum impediendi. Hinc ſubmerſio navis, quæ ſequitur ex voluntariâ omiſſione gubernationis, eſt voluntaria navarcho, qui tenebatur, navim gubernando, illam impedire, non aliis, qui ad id non obligabantur: neque enim ea ſubmerſio propriè, & ſimpliciter dici poteſt voluntaria v. g. Angelo, qui poterat, ſed non tenebatur, eam impedire. Eſt S. Thomæ 1. 2. q. 6. art. 3. dicentis: *Sciendum quòd non ſemper, id quod ſequitur ad defectum actionis, reducitur, ſicut in cauſam, in agens, ex eo, quòd non agit; ſed ſolùm tunc, cùm poteſt & debet agere.* Et aliorum communiùs, contra Salas, Amicum, Arriagam, qui volunt, quoad hoc, eandem eſſe

rationem omiſſionis, & effectûs ex eâ conſequentis etiam per accidens. Verùm diſparitas eſt, quod omiſſio ſit per ſe immediatè à voluntate tamquam causâ, cùm reipsâ ſit exercitium libertatis circa alteram partem contradictionis, nec detur alia cauſa, cui tribui poſſit ea omiſſio. At effectus, qui per accidens ex omiſſione ſequitur, ſeclusâ obligatione, non eſt à voluntate, neque immediatè, ut clarum eſt, neque mediante omiſſione, cum quâ non habet connexionem, nec Phyſicam, nec moralem; & datur alia cauſa, cui tribui debeat is effectus: nam quòd navis ſubmergatur, cauſa phyſica eſt tempeſtas, cauſa moralis eſt is, qui tenebatur eam ſubmerſionem impedire.

Dixi 1. *Vt effectus ſit propriè & ſimpliciter voluntarius.* Quia, etiam ſeclusâ obligatione, effectus, qui ſolùm per accidens ex omiſſione ſequitur, ſubinde dicitur voluntarius, ſed impropriè. Sic dicitur voluntariè mori, aut ægrotare, qui cùm poſſit, non præcavet adhibendo remedia. Et hoc, ſenſu S. Th. 3. p. q. 47. art. 1. dicit aliquem poſſe dici cauſam alicujus effectûs (indirectè ſcilicet) quia non impedit, cùm impedire poſſit. : & hoc modo, inquit, Chriſtus fuit cauſa ſuæ Paſſionis, & mortis. Quæ tamen locutio malè extenderetur ad Deum reſpectu peccatorum, quæ non impedit, cùm impedire poſſit: malè enim diceretur Deus eſſe cauſa peccati, aut peccatum eſſe illi voluntarium.

Dixi 2. requiritur *obligatio effectum impediendi*; non verò *obligatio non omittendi actum.* Quia ut effectus habeat connexionem moralem cum omiſſione, & ſit propriè voluntarius, non ſufficit obligatio actum ponendi, ſi hæc obligatio aliunde proveniat, quàm per ordinem ad effectum impediendum. Unde fieri poteſt, ut omiſſio mihi imputetur ad culpam, non tamen effectus per accidens ex

illâ conſequens : ut ſi, ex eo quòd omittam audire Sacrum die Feſto, ſequatur per accidens alicujus incommodum, ad quod vitandum non obligor (v. g. quod alter iſtâ occaſione non audiat ſimiliter Sacrum) illud non erit mihi ſimpliciter voluntarium, licet ex alio capite obliger ad non omittendum Sacrum.

CAPUT III.

De iis quæ cauſant involuntarium, & excuſant à peccato.

Quatuor ſunt de quibus id quæritur, nempe violentia, metus, concupiſcentia, & ignorantia, ſeu inadvertentia.

§. I.

De Violentia.

Q. *An & quæ violentia cauſet involuntarium?*

R. Violentia abſoluta & efficax, cui reſiſti non poſſit, cauſat involuntarium. Patet: nam cùm violentum ſit à principio extrinſeco, opponitur directè voluntario, quod eſſe debet à principio intrinſeco, ut dictum eſt.

Dixi, *cui reſiſti non poſſit* Quia nuda diſplicentia non ſufficit ad cauſandum involuntarium ſimpliciter, & excuſandum à peccato. Hinc ſi puellæ vis inferatur, & ipſi quidem diſpliceat fornicatio; non tamen aggreſſori reſiſtat efficaciter ex parte ſuâ, ſeu quantum hic & nunc moraliter poteſt, & debet; fornicatio cenſebitur illi voluntaria, ſaltem interpretativè, & peccabit graviter. Si ta-

men ob evidens periculum graviſſimi mali v. g. mortis, aut ingentis infamiæ non adhibeat omnia omninò media, quæ poteſt, ad vim propulſandam, fornicatio non imputabitur illi ad peccatum, ſecluſo conſenſu in illam; quia, ut antè dictum eſt, effectus conſequens omiſſionem non eſt voluntarius, nec imputatur ad culpam, niſi adſit obligatio ponendi ea media, quibus effectus ille impediatur, quæ in caſu noſtro non reperitur. Cæterùm in praxi, propter periculum conſenſûs in delectationem veneream, planè ſuadendum, ut puella, omni modo phyſico, quo poteſt, aggreſſori reſiſtat, etiam contemptâ morte aut infamiâ.

§. II.

De Metu.

Q. 1. *An ea quæ fiunt ex metu, ſint voluntaria?*

R. cum S. Tho. hìc art. 6. eſſe mixta ex voluntario & involuntario; plus tamen habere de voluntario: quippe quæ ſunt voluntaria ſimpliciter, & involuntaria tantùm ſecundùm quid. Patet in eo qui, ex metu naufragii, merces ſuas in mare projicit: nam projectio mercium eo caſu eſt ſimpliciter voluntaria; quia procedit à voluntate illam abſolutè & efficaciter imperante. Eſt tamen involuntaria ſecundùm quid, quatenus connotat in voluntate affectum illi repugnantem, ſeu deſiderium inefficax, & conditionatum retinendi merces.

Coll. quo ſenſu accipienda ſit hæc locutio: *metus cauſat involuntarium.* Quod nempe metus ſic moveat ad aliquid volendum ſimpliciter, & efficaciter, ut tamen ordinariè relinquat in voluntate affectum inefficacem illi repugnantem. Dico *ordinariè*: quia id non fit in eo, qui efficaciter dolet de peccato, ex metu gehennæ, in quo nullus re-

manet affectus, etiam inefficax, ad peccatum;quippe qui eſſet peccaminoſus, & gehennę, quam efficaciter vitare vult, incurſivus. Itaque dicendum, quòd metus propriè & directè non cauſet involuntarium; ſed tantùm impropriè & indirectè, ſenſu explicato. Niſi cum nonnullis dicere malimus eam locutionem intelligi de metu avocante ab aliquo actu, qui, eo non obſtante, ponitur, ut dum quis, non obſtante metu gehennæ, committit peccatum: tunc enim metus ille imminuit voluntarium, & cauſat involuntarium ſecundùm quid.

Q. 2. *An & quis metus excuſet à peccato?*

Nota metum alium eſſe gravem, alium eſſe levem: metus gravis dicitur, qui eſt de gravi malo, vel abſolutè, vel reſpectivè. Malum abſolutè grave eſt, quod reſpectu omnium eſt tale, ut mors, mutilatio, gravis jactura famæ, aut bonorum &c. ſive hæc nobis ipſis immineant, ſive intimè nobis conjunctis, ut parenti, filiis, conjugi &c. Hic dicitur *metus cadens in conſtantem virum* quòd talis ſit, qui etiam virum fortem, & conſtantem meritò percellat. Malum reſpectivè grave eſt, quod quidem viro forti & conſtanti non eſt formidabile, meritò tamen perſonam aliquam commovet, attentâ ejus conditione, v. g. fœminam, puerum, ſenem &c. qui minoribus malis moventur, quàm alii. Ad metum gravem reducitur metus reverentialis, ut cùm filius timet gravem, & diuturnam offenſionē parentis, uxor viri, ſubditus Principis, Monachus Abbatis, &c. Metus levis eſt, qui, etiam reſpectivè, eſt de malo levi, vel ſi ſit de malo gravi, non eſt tamen de probabiliter futuro, ita ut is, cui incutitur, non multùm illo commoveatur. Hic metus in jure dicitur *metus vanus*, ſicut è contrà metus gravis dicitur *metus juſtus*. His poſitis.

R. Metus gravis communiter excuſat à peccato in iis, quæ ſunt contra legem humanam: quia

lex humana communiter non obligat cum periculo vitæ, aut gravioris alicujus incommodi, ſeu damni, ut ſuo loco dicetur. Et verò ex praxi Eccleſiæ, & communi ſenſu conſtat neminem teneri ad jejunandum, audiendum Sacrum die feſto, legendas horas &c. cum gravi periculo valetudinis, aut alterius gravis incommodi. Metus levis non excuſat; nam, ut habet regula juris, *vani timoris juſta excuſatio non eſt.*

Dixi 1. *communiter*: quia, ut dicetur in tractatu de Legibus, lex humana quibuſdam caſibus poteſt obligare cum periculo vitæ, aut alterius damni gravis, tum per accidens, ut in caſu, quo oppoſitum cederet in contemptum legis, & Religionis Catholicæ, ut ſi quis inter hæreticos compellatur edere carnes die vetito; tum etiam per ſe, ut cùm agitur de bono communi, quod præponderat vitæ alicujus in particulari. Sic poteſt Epiſcopus præcipere Parocho, ne tempore peſtis oves deſerat, dux militi ne ſtationem deſerat &c.

Dixi 2. *In iis, quæ ſunt contra legem humanam:* nam in iis, quæ ſunt contra legem naturalem, metus gravis minuit quidem, ſed non tollit peccatum, adeò ut teſte Aug. ſuper Pſ. 5. neque pro tuendâ vitâ propriâ, vel alienâ, fas ſit mentiri: in iis verò, quæ ſunt contra legem divinam, raro quidem, ſed tamen aliquando metus gravioris mali excuſare poteſt à peccato, ut videre eſt Matt. 12. Ubi Chriſtus excuſat Diſcipulos vellentes ſpicas, & comedentes die ſabbathi, exemplo dato Davidis comedentis panes propoſitionis, quos alioqui non licebat ei comedere.

§. III.

De Concupiſcentia.

Q. 1. *An concupiſcentia cauſet involuntarium ſecundùm quid, aut ſaltem minuat voluntarium?*

Nota per concupiſcentiam hîc intelligi actum appetitûs ſenſitivi, qui antecedit motum voluntatis, eamque inclinat ad bonum delectabile. Hinc,

R. Quod fit ex concupiſcentiâ, eſt ita ſimpliciter voluntarium, ut nullo modo ſit involuntarium, etiam ſecundùm quid. S. Th. hîc a. 7. ad 2. dicens, *quod per metum agitur, quodammodo eſt involuntarium; ſed quod per concupiſcentiam agitur, nullo modo.* Ratio eſt, quia quod fit ex concupiſcentiâ,non fit cum repugnantiâ,ſed potiùs cum complacentiâ, & inclinatione voluntatis, ex naturali ſympathiâ ſequentis motum & inclinationem appetitûs ſenſitivi;ergo nullo modo eſt involuntarium.

Etſi Concupiſcentia non minuat, ſed augeat voluntarium, minuit tamen liberum. Auget voluntarium, quia quod fit ex concupiſcentiâ, fit faciliùs, intenſiùs, diuturniùs &c. adeóque ex majore voluntatis propenſione Minuit autem liberum, quia minuit indifferentiam voluntatis, eam rapiendo in unam partem, & faciendo, ut intellectus minùs perpendat rationes in oppoſitum.

Q. 2. *An concupiſcentia minuat, aut etiam aliquando tollat peccatum.*

R. Cùm minuat liberum, ut jam dictum eſt, conſequenter etiam peccatum: nam ubi minus eſt libertatis, ibi minus eſt meriti, & demeriti. Hinc S. T. Q. 77. art. 6. docet paſſionem, ſeu concupiſcentiam, ſecundùm quod præcedit actum peccati,minuere peccatum,in quantum minuit volun-

tarium. Ubi voluntarium ſumit pro libero. Immo quandóq; concupiſcentia, ſeu paſſio, ita hominem abripit, ut rationis uſum impediat, adeóque non tantùm minuat, ſed tollat etiam liberum, & conſequenter peccatum: ut fit in motibus primò primis, quibus intellectus, propter prævium phantaſiæ, & appetitûs ſenſitivi vehementem motum, ita ſubitò rapitur in bonum delectabile, ut non attendat ad rationem mali, quæ in tali objecto reperitur, & ita fit, ut voluntas cæco quodam impetu, & ſine præviâ deliberatione, adeóque non liberè feratur in illud bonum, ſeu verum, ſeu apparens.

Quod autem dicimus de concupiſcentiâ, Suares extendit ad cõſuetudinem, & habitum, ſed cum reſtrictione; quando ſcilicet cõſuetudo jam fuit retractata per actus oppoſitos, quibus homo pravæ iſti conſuetudini renuntiat, & proponit, quantum eſt in ſe, illam tollere: tunc enim cenſet actum peccati, ex illâ conſuetudine procedentem, eſſe minùs liberum, & minùs imputabilem voluntati. At quando conſuetudo non eſt retractata per actus oppoſitos, ſed adhuc libera eſt, & voluntaria, ratione priorum actuum, quibus inducta eſt, moraliter, & in ordine ad morales effectus, non cenſetur minuere liberum, adeóque nec meritum, aut demeritum. Ita Suar. diſp. 3, ſect. 3. n. 16. & ibidem n. 17. addit etiam gratiam ſupernaturalem augere voluntarium, cùm trahat voluntatem ad honeſtùm, multò ſuaviùs, quàm concupiſcentia ad inhoneſtum; & fieri poſſe, ut etiam minuat liberum, licet hoc non ſit neceſſarium; quia ordinariè gratia non movet occultando rationes in oppoſitum, ut concupiſcentia, ſed illuminando intellectum, & oſtendendo in objecto omnem rationem boni, & mali, & inclinando voluntatem ad illud proſequendum ſub perfectiſſimâ & ſupremâ

ratione boni, quam facit ponderare, & æſtimare, prout digna eſt.

Nota, hactenus dicta intelligenda eſſe de concupiſcentiâ, ſeu de paſſione, quæ antecedit actum, nam ut ait S. Tho. q. 77. art. 6. *paſſio conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potiùs eſt ſignum magnitudinis ejus, in quantum ſcilicet demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati. Et ſic verum eſt, quòd quanto aliquis majori libidine, vel concupiſcentiâ peccat, tanto magis peccat.* Ita ad verbum S. Thomas.

§. IV.

De Ignorantia.

Q. 1 *Quotuplex ignorantia?*

R. triplex, antecedens, concomitans, & conſequens. Ignorantia *antecedens* eſt, cùm quis ex ignorantiâ ita aliquid vult, aut facit, ut, ſi illa abeſſet, neque faceret, neque vellet. Ut cùm venator, adhibitâ ſufficienti diligentiâ ne hominem occideret, hominem occidit, ratus eſſe feram; hæc ignorantia aliter vocatur *invincibilis*, quia ſcilicet morali diligentiâ ſuperari non poteſt, ſivè, quia numquam venit in mentem dubitare de oppoſito, ſive, quia licet in mentem venerit, tamen adhibitâ diligentiâ ſufficienti pro rei qualitate, ignorantia depelli non potuit, ſed manſit juſta perſuaſio hìc & nunc nullum ſubeſſe periculum.

Ignorantia *concomitans* eſt, cùm quis ex ignorantiâ, ſeu potiùs cùm ignorantiâ ita aliquid facit, ut, ſi illa abeſſet, æquè illud faceret. Talis eſt in eo, qui, adhibitâ ſufficienti diligentiâ ne quem occidat, inimicum latentem occidit, quem æquè occidiſſet, ſi ſciviſſet ibi latere.

Ignorantia *conſequens*, eſt ea, quæ depelli poterat,

terat, & depulſa fuiſſet, ſi voluntas diligentiam debitam adhibuiſſet. Et ideò aliter dicitur *ignorantia vincibilis*. Hæc, alia eſt directè, alia indirectè voluntaria. Directè voluntaria, quæ dici ſolet *ignorantia affectata*, eſt, cùm quis expreſsè omittit inquirere veritatem, ut peccet liberiùs, & ſine remorſu conſcientiæ. Indirectè voluntaria eſt, cùm quis ſimpliciter omittit diligentiam, quam adhibere poteſt, & debet. Quòd ſi nulla, aut pro rei qualitate, modica diligentia ſit adhibita; dicitur *ignorantia craſſa*, *lata*, *ſupina*, &c. ſi verò diligentia aliqua debita, ſed non ſufficiens, adhibita ſit, dicitur ignorantia *non craſſa*, quamquam velint aliqui contra Sanchez, omnem ignorantiam mortaliter culpabilem dicendam eſſe craſſam ſeu latam.

Q. 2. *Quæ ignorantia cauſet voluntarium, aut involuntarium?*

R. 1. Ignorantia ſimpliciter antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter ex parte circumſtantiæ, quæ ignoratur. Probatur: quia actus, qui ponitur ex tali ignorantiâ, quoad circumſtantiam ignoratam, non tantùm non procedit à voluntate cum cognitione (quod requiritur ad voluntarium) ſed etiam connotat in agente affectum efficacem repugnantem operi; quia ſcilicet ſupponitur operans ita eſſe affectus actu, vel habitu, ut, ſi ſciret illam circumſtantiam v.g. hominem eâ actione occidendum, illam non poneret.

Col. eum, qui facit actionem bonam quoad ſubſtantiam, & omnes circumſtantias, exceptâ unâ, quam invincibiliter ignorat, nullatenus peccare. Unde venator, qui in his circumſtantiis licitè occideret feram, ſi ex ignorantiâ invincibili hominem occidat, neque coram Deo homicida eſt, neque ab hominibus ut talis puniendus.

Item qui ponit actionem hîc & nunc formaliter

malam in certâ ſpecie, non contrahit malitiam alterius ſpeciei, quam alioqui contraheret, niſi hæc, vel illa circumſtantia mutans ſpeciem invincibiliter ignoraretur. Hinc ſi quis hîc & nunc velit hunc hominem occidere, quem putat eſſe inimicum ſuum, invincibiliter ignorans eſſe alium, eumque Clericum, peccat quidem peccato homicidii, ſi illum occidat, non tamen peccato ſacrilegii; quia occiſio Clerici ut talis, eſt illi involuntaria. Similiter ſi conjugatus ſcienter non ſuam cognoſcat, ſed neſciens invincibiliter eſſe ſororem uxoris ſuæ; quamvìs peccet peccato adulterii, non tamen peccato inceſtûs, neque prohibetur debitum ab uxore ſuâ petere, & ita de cæteris.

Quæ autem dicimus de ignorantiâ antecedente, extendenda ſunt ad inadvertentiam ſimiliter antecedentem, quæ etiam cauſat involuntarium, & eodem modo excuſat à peccato. Hinc ſi quis carnes comedat nullo modo advertens eſſe feriam 6. aut diem jejunii, comeſtio illa carnis, prout exercita die prohibito, eſt illi involuntaria, adeóque non peccaminoſa ex iſtâ parte, quamvis ex aliâ fortè peccarit v. g. comedendo ex gulâ &c.

R. 2. ignorantia concomitans nec facit voluntarium, quia actio, quoad circumſtantiam ſic ignoratam, neque eſt expreſsè volita in ſe, cùm ſupponatur non eſſe cognita, neque implicitè, aut virtualiter in ipsâ ignorantiâ, cùm hæc non ſit voluntaria, nec cauſa operis, ut ſupponitur. Nec facit involuntarium poſitivè, quia talis ignorantia nullum connotat actualem, vel habitualem affectum actui repugnantem. Reſtat igitur ut faciat involuntarium negativè, ſeu nonvoluntarium: hinc, ut vulgò dicitur, talis ignorantia nec accuſat, nec excuſat.

Declaratur in exemplo allato de ignorantiâ concomitante: neque enim committitur peccatum homicidii ab eo, qui ita ignorans inimicum oc-

cidit, neque ab eo incurritur obligatio reſtitutionis faciendæ hæredibus defuncti : quamvis enim ſupponatur habere voluntatem habitualem occidendi illum inimicum, quem de facto occidit, & æquè occidiſſet, ſi ſciviſſet ibi latere ; quia tamen adhibuit ſufficientem diligentiam ne quis occideretur, mala ejus voluntas interna non influxit in præſentem occiſionem ; eſto ea illi poſt factum placuerit : inde enim tantùm ſequitur occiſionem illam caſu accidiſſe ſecundùm illius voluntatem, non tamen ab eâ proceſſiſſe, quod requiritur ad voluntarium.

R. 3. ignorantia conſequens facit voluntarium ſimpliciter : cùm enim ſit ſimpliciter voluntaria, opus, quod ex illâ ſequitur, eſt ſimpliciter voluntarium, ſaltem indirectè & interpretativè : quod enim fit ex ignorantiâ voluntariâ, moraliter loquendo, perinde eſt, ac ſi fieret ex ſcientiâ, in ordine ad hoc, ut opus imputetur voluntati, & ideò talis ignorantia dicitur culpabilis, ſeu vincibilis.

CAPUT IV.

De Libero.

Q. 1. *Quid agens liberum ?*

R. Agens liberum eſt, *quod, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere.* Quæ definitio intelligenda eſt in ſenſu compoſito, ſive ſic, ut, poſitis & remanentibus omnibus prærequiſitis, poſſit poni tam actio, quàm non actio, non ſumpta copulatim, quaſi poſſint ſimul eſſe actio, & non actio, ſed copulativè, hoc ſenſu, quòd & actio poſſit ſtare cum omnibus prærequiſitis, & cum iiſdem poſſit etiam ſtare non actio : hinc,

ut vulgò dicitur, ad libertatem non requiritur poteſtas ſimultatis, ſeu poteſtas jungendi ſimul actionem, & non actionem, ſed ſimultas poteſtatis, ſeu poteſtas agendi, & ſimul poteſtas non agendi. Et ideò dictum eſt ſupra c. 1. liberum ſumptum pro actu, aut non actu libero, eſſe id, quod procedit à potentiâ liberâ ut tali, ſeu proximè expeditâ ad agendum, & non agendum.

Quòd autem definitio iſta intelligenda ſit in ſenſu compoſito ſic explicato, manifeſtè patet ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. ubi definit *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum* (quæcumque demum ſit illa motio) *poſſe diſſentire, ſi velit.* Et cap. 5. ubi docet hominem *poſſe abjicere inſpirationem*, quâ ad juſtificationem perducitur. Quæ verba clarè indicant noſtrum ſenſum compoſitum. 1. quia ly *diſſentire*, ly *abjicere* &c. ſupponunt motionem, ſeu inſpirationem eſſe præſentem. Nam ſi juxta ſenſum diviſum adverſariorum, ea eſſet ſublata, malè diceretur poſſe abjici, poſſe illi diſſentiri. 2. quia, cùm ſcopus Concilii eſſet damnare errorem Calvini negantis libertatem, accipienda ſunt verba Concilii ſic, ut contradicant Calvino. Conſtat autem Calvinum non negaſſe arbitrium motum in ſenſu diviſo, hoc eſt, ſublatâ motione, manere liberum. Prob. ulteriùs ratione: ad uſum libertatis requiritur potentia agendi, & non agendi proximè expedita: atqui ea non habetur, quando agens, poſitis prærequiſitis ad agendum, non poteſt non agere in ſenſu compoſito, ſed tantùm in ſenſu diviſo, ſeu ſublato uno è prærequiſitis, ergo. &c. mi. clara eſt: quia non poteſt dici potentia eſſe proximè expedita, quæ hîc & nunc actuari non poteſt, niſi priùs ſublato aliquo è prærequiſitis, quod tollere non eſt in ejus poteſtate. ma. prob. quia ad uſum libertatis requiritur talis potentia agendi, & non agendi, vi cujus homo verè

& ſimpliciter dicatur poſſe, ſeu habere in ſuâ poteſtate, agere & non agere, ut patet ex modis loquendi Conciliorum, Patrum & Doctorum paſſim: ſed ad hoc non ſufficit potentia agendi, & non agendi tantùm remota, ſed requiritur proxima & expedita, ergo &c. prob. mi. quia alioqui ſimpliciter dici poſſet eſſe in poteſtate hominis ligati currere, Beati Deum non amare &c. atque ita omnes noſtri actus neceſſarii, nobis eſſent liberi. Aliud igitur eſt(ut ex Philoſ. rectè advertit Scotus in 1. diſtinct. 7) habere potentiam, ſeu virtutem activam præcisè, & aliud ſimpliciter & abſolutè aliquid poſſe, ſivè illud habere in ſuâ poteſtate. Hinc homo ligatus habens bonos pedes &c. habet potentiam ambulandi, ſed remotam tantùm, & ideò non dicitur ſimpliciter poſſe, aut in ejus poteſtate eſſe ambulare. Similiter homo in tenebris conſtitutus habet potentiam viſivam, ſeu potentiam intrinſecam ad videndum, non tamen in ejus poteſtate eſt hîc & nunc videre.

Nota hîc ſermonem eſſe de prærequiſitis ad agendum abſolutè antecedentibus, ſeu quæ habere, vel non habere, non ſit in noſtrâ poteſtate (qualis eſt v.g. inſpiratio Divina, prædeterminatio phyſica &c.) nam ſi impedimentum, quod tolli debet ad agendum, aut non agendum, ſit in noſtrâ poteſtate, tunc, eo non obſtante, dicimur ſimpliciter poſſe agere & non agere, licet tantùm in ſenſu diviſo. v. g. in exemplis allatis, ſi homo ligatus poſſit ſe ſolvere, & in tenebris conſtitutus poſſit ſibi lumen comparare &c. tunc dici poteſt abſolutè poſſe, adeóque liberè ambulare, videre &c.

Q. 2. *Quotuplex ſit libertas.*

R. Omiſſis variis acceptionibus libertatis, quæ ad propoſitum noſtrum non pertinent, duplex hîc diſtinguitur libertas, nempe libertas à coactione,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

& libertas à neceſſitate. Libertas à coactione, ſive à violentiâ eſt, cùm aliquid neceſſariò quidem fit, ſed tamen voluntariè & ſpontaneè, ut in beatis, qui, quamvis neceſſariò Deum ament ſuppoſitâ viſione beatificâ, ſubinde tamen etiam à PP. dicuntur illum amare liberè, libertate ſcilicet, ſeu immunitate à coactione, quia non coactè, & cum repugnantiâ, ſed voluntariè & ſpontaneè Deum amant. Libertas à neceſſitate conſiſtit in poteſtate voluntatis, ſeu potentiâ proximè expeditâ ad utramlibet partem contradictionis, vel contrarietatis. Libertas à coactione aliter dicitur libertas naturæ ſeu eſſentialis, libertas autem à neceſſitate dicitur libertas indifferentiæ.

Q. 3. *Quæ libertas requiritur ad merendum vel demerendum?*

R. Non ſufficere libertatem à coactione, ſed inſuper requiri libertatem à neceſſitate. Ita definitum eſt ab Innoc.X. qui hanc Janſenii Iprenſis propoſitionem *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, hæreticam declaravit, & ut talem damnavit. Et verò, ut ait Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. 17. in fine, *Quæcumque iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur, ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur.* Et paulò poſt cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem, caveri igitur poteſt.* Et lib. de duabus animabus cap. 12. *peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſumma iniquitatis eſt & inſaniæ.* Similia habet alibi paſſim. & S. T. Q. 6. de malo art. unico, *quidam* inquit *poſuere, quòd voluntas hominis ex neceſſitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur; non enim omne neceſſarium eſt violentum. Hæc autem opinio eſt hæreti-*

ea , tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus.

CAPUT V.

De ſpeciebus actuum humanorum.

Q. *Quæ ſint primariæ ſpecies actuum humanorum?*
R. Octo à Theologis enumerari, quarum tres verſantur circa finem, nempe amor, intentio, fruitio; quinque circa media, nempe conſultatio, electio, conſenſus, imperium, uſus: & ex his duæ ad intellectum pertinent, nempe conſultatio & imperium; reliquæ ad voluntatem.

Amor, ut hìc ſumitur, eſt actus, quo bonum aliquod ſecundùm ſe ſpectatum ſimpliciter appetimus ſine reſpectu ad media. Differt à deſiderio, ſicut genus à ſpecie: quia amor abſtrahit à præſentiâ vel abſentiâ objecti, deſiderium autem connotat abſentiam.

Intentio eſt efficax volitio finis cum ordine ad media, ſaltem in confuſo. Nam, ut ait S. T. q. 12. art. 1. ad 4. *non ſolùm ex hoc intendere dicimur ſanitatem, quia volumus eam, ſed quia volumus ad eam per aliquid aliud pervenire.*

Fruitio eſt delectatio de fine, prout aliquâ ratione poſſeſſo. Ita S.T. & Aug. l. 10. de Trinitate cap. 10. *fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquieſcit.*

Col. actus his tribus oppoſitos, nempe odium, fugam, & triſtitiam ſeu dolorem, è contrario ſic deſcribi poſſe. *Odium* eſt, quo malum aliquod ſecundùm ſe ſpectatum ſimpliciter averſamur, abſtrahendo an ſit præſens vel abſens &c. *Fuga*, prout opponitur intentioni, eſt efficax nolitio

mali in ordine ad illud declinandum. *Triſtitia*, ſeu dolor, eſt vitalis inquietùdo voluntatis in malo præſente.

Conſultatio eſt actus intellectûs, quo, ſuppoſitâ intentione finis, media idonea inquirimus, eáque inter ſe & cum fine conferimus, ut ex illis eligamus, quod aptius videbitur. S. Tho. q. 14. quantum apparet, conſultationem confundit cum conſilio: quamvis, ſtrictè loquendo, conſultatio ad nos ipſos, conſilium ad aliòs ordinetur.

Conſenſus ſumi poteſt dupliciter. 1. pro actu voluntatis acceptante medium, quod ab intellectu propoſitum, & judicatum eſt melius. 2. pro ſimplici complacentiâ, & approbatione medii propoſiti. Quæ complacentia connaturaliter præcedit electionem, ſicut amor ſimplex finis præcedit intentionem. Priori modo ſumptus non differt ab electione, poſteriori modo differt, cùm ſit actus medius inter judicium de mediis, & ipſam electionem.

Electio eſt actus voluntatis, quo unum medium è pluribus per conſultationem propoſitis eligitur. Ex quâ deſcriptione ſequitur acceptationem medii, quod unicum proponitur, non eſſe ſtrictè electionem, quamvis vulgò etiam dicatur electio, quia eſt volitio medii propter finem.

Imperium eſt actus intellectûs, quo homo ſibi ipſi imperat executionem mediorum à ſe electorum, & exprimi ſolet per ly *fac hoc* &c.

Vſus eſt duplex activus & paſſivus: activus eſt actus voluntatis applicantis potentiam executivam ad faciendum id, quod eligitur ad finem v. g. cùm voluntas potentiam motivam actu applicat ad ambulandum. Uſus paſſivus eſt ipſa operatio potentiæ applicatæ v. g. deambulatio.

Nota hos omnes actus intervenire quando aliquis finem à ſe intentum conſequitur. Nam 1.

ſimplici affectu appetit v. g. ſanitatem, & eſt *amor.* 2. efficaciter vult eam per media idonea conſequi, & eſt *intentio.* 3. apud ſe inquirit quæ ſint media ad eam conſequendam idonea, & eſt *conſultatio.* 4. ex pluribus mediis ſibi ab intellectu propoſitis voluntas ſimplici complacentiâ approbat illud medium, quod ab intellectu judicatum eſt optimum v. g. deambulationem, & eſt *conſenſus.* 5. deambulationem præ aliis mediis eligit, & *eſt electio.* 6. intellectus imperat deambulationem, & eſt *imperium.* 7. voluntas, volendo hîc & nunc deambulare, applicat potentiam motivam ad executionem, & eſt *uſus activus.* ipſa verò actualis deambulatio eſt *uſus paſſivus.* 8. denique poſt deambulationem conſequitur ſanitatem, quâ obtentâ delectatur & quieſcit, & eſt *fruitio.*

CAPUT VI.

De bonitate & malitiâ actuum humanorum.

Ex tribus præcipuè capitibus petitur bonitas, aut malitia actuum humanorum, nempe ex objecto, ex circumſtantiis, & ex fine, qui intenditur. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd ad bonitatem actûs requiratur, ut tria illa bona ſint, ad malitiam verò ſufficiat, quòd unum ex illis ſit malum, juxta illud Dionyſii de Divinis nominibus, *bonum eſt ex integrâ causâ, malum ex ſingulis defectibus.*

§. I.

De Bonitate et Malitia actuum petita ab objecto.

Q. 1. Quomodo bonitas, aut malitia actûs petatur ab objecto?

R. Multipliciter id fieri pro diverſitate objectorum, in quę fertur voluntas. Nam 1. quidam actus voluntatis habent pro objecto actus externos virtutum moralium, aut illis oppoſitos. Et hi manifeſtè ab illis ſumunt ſpeciem moralem, ſeu bonitatem, aut malitiam; ſic enim v. g. voluntas dandi eleëmoſynam eſt in ſe bona, quia ejus objectum, ſcilicet externa datio eleëmoſynæ ſecundùm ſe eſt honeſta, & ut talis à voluntate appetitur: voluntas furandi eſt mala, quia ejus objectum, nempe furtum, eſt malum. 2. Alii actus voluntatis verſantur circa objectum, quod non eſt actus hominis, ſed aliquid aliud. Et hi etiam aliquo modo bonitatem ſuam, aut malitiam ab objecto accipiunt, hoc ſenſu, quòd ejuſmodi objectum bonum, aut malum, tribuat bonitatem, aut malitiam actibus ſibi proportionatis, id eſt, objectum bonum tribuat bonitatem actibus proſecutionis, objectum malum actibus fugæ. Sic actus amoris Dei v. g. ex eo honeſtus eſt, quòd verſetur per modum proſecutionis circa Deum, qui eſt objectum ſummè amabile: item odium peccati ex eo honeſtum eſt, quòd verſetur per modum fugæ in peccatum, quod eſt maximè odibile. Itaque non eſt ſenſus, quòd omnis actus, qui verſatur circa bonum, ſit bonus, & qui circa malum, malus, cùm odium Dei verſetur circa objectum bonum, & tamen ipſum ſit malum; & odium pecca-

ti bonum ſit, cùm tamen verſetur circa malum 3. Sunt quidam actus voluntatis, qui verſantur circa objectum indifferens, qui tamen boni ſunt, aut mali. Et hi bonitatem, aut malitiam, quam habent, non ſumunt ab objecto ſecundùm ſe, ſed prout veſtito aliquâ circumſtantiâ, quæ aliquo modo tranſeat in rationem objecti, vel certè ex objecto formali, aut fine. Tales ſunt ambulare, ſtudere, comedere &c.

Dices: poteſt aliquis actus eſſe objectivè malus, & tamen in ſe bonus formaliter v. g. in eo, qui mentiretur putans mendacium hîc & nunc eſſe licitum, & Deo gratum. Ergo non ſemper actus ſumit malitiam ab objecto malo.

R. Diſt. conſequens: non ſemper ſumit malitiam ab objecto ut in ſe eſt C. ut eſt in mente, ſeu prout ſubſtat prudenti dictamini de ejus honeſtate, N. nam objectum ſic in mente repræſentatum induit honeſtatem quamdam in eſſe objectivo, & ut ſic, objectum in ſe malum poteſt per accidens terminare, & ſpecificare actum honeſtum.

Nota inſuper quoſdam actus eſſe in ſe, & ex naturâ ſuâ bonos, aut malos, ut amare Deum, honorare parentes &c. odiſſe Deum, mentiri, fornicari &c. alios eſſe bonos, aut malos ex præcepto, vel prohibitione legis, ut laborare, aut non laborare, Miſſam audire, aut non audire, jejunare, aut non jejunare &c. certis diebus. Qui ſunt prioris generis, bonitatem aut malitiam ſuam ſumunt ab objecto ſecundùm ſe; qui verò ſunt poſterioris ordinis, ſive ſint actus, ſive omiſſiones, ſuam bonitatem, aut malitiam non habent ab objecto præcisè, & ſecundùm ſe, ſed cum ordine ad legem præcipientem, aut prohibentem.

Q. 2. an ut actus ſit bonus debeat ferri in objectum propter illius honeſtatem?

Quæſtio procedit de Actibus virtutum mora-

lium : nam virtutes Theologicæ, ut ſuo loco dicetur, pro ſuo objecto formali habent ipſum Deum, aut aliquod ejus attributum ; quamquam voluntas, actus illarum virtutum imperans, etiam ſpectet honeſtatem, quæ in illis reperitur.

R. affirmativè hoc ſenſu, quòd debeat ſaltem confusè, & in actu exercito attingere honeſtatem objecti, tanquam rationem formalem, ſeu motivum, ita S. Tho. q. 19. art. 7. ad 3. *ad hoc ut voluntas ſit bona, requiritur, quòd ſit boni ſub ratione boni.* Item Aug. in Pſal. 31. Anſel. & alii Patres ac Theologi communiter, conformiter Ariſtoteli pluribus locis, & nominatim Eth. 4. cap. 2. ubi dicit *commune eſſe omnibus virtutibus. ut actus earum fiant honeſtatis causâ.* Ratio eſt quia objectum formale, ſeu motivum actuum voluntatis eſt *bonum*, nempe vel utile, vel delectabile, vel honeſtum : atqui nec utilitas quà talis, nec delectabilitas poteſt refundere honeſtatem in actum, ergo actus honeſtus, ſeu virtutis, debet tendere in objectum propter illius honeſtatem.

Dixi *ſaltem confuſè* &c. quia non eſt neceſſe, ut ſignatè, & reflexè cognoſcatur objectum eſſe honeſtum, (ſic enim pauci eſſent, qui honeſtè operarentur,) ſed ſatis eſt, quòd repræſentetur ejus honeſtas exercitè, & confusè, ſive ſic, ut in objecto repræſentetur aliqua ratio, quæ honeſta eſt, & objectum intendatur ſecundùm ſe, non ſpectando in illo aliam rationem boni, puta utilitatem, aut delectabilitatem, ſiſtendo in illâ : tunc enim cenſetur amari propter honeſtatem, ut repertam in iſtâ particulari materiâ, v.g. in eo, quòd eſt ſublevare proximi miſeriam dando eleëmoſynam. Neque probabiliter plus volunt Medina, Salas & pauci alii, qui citantur pro oppoſitâ ſententiâ.

Q. 3. *an ſimiliter, ut actus ſit malus, intendi debeat ejus malitia?*

R. negativè, ſed ſufficit illam eſſe aliquo modo cognitam, & ita interpretativè volitam, ex eo quòd, non obſtante illius cognitione, objectum ſit efficaciter volitum, quamvis ipſam malitiam ſecundùm ſe voluntas averſetur. Id patet in eo, qui peccat v. g. peccato intemperantiæ; nam is non intendit ſui actûs turpitudinem, ſeu malitiam, quam potiùs averſatur, ſed voluptatem, quam in illo percipit, cognoſcendo tamen illi ineſſe aliquam malitiam.

§. II.

De Circumstantiis ex quibus petitur bonitas aut malitia actuum.

Q. 1. *Quid ſint actuum humanorum circumſtantiæ?*

R. Circumſtantia ex S. Tho. eſt affectio actûs humani extra ejus eſſentiam ſpecificam in genere moris, & ad ejus bonitatem, vel malitiam aliquo modo conferens. Duo igitur ad illam requiruntur, 1. ut ſit extra eſſentiam ſpecificam in genere moris, ſive, ut non tribuat ei primam bonitatem, aut malitiam: hinc in furto v. g. rem eſſe alienam, non eſt circumſtantia, cùm ea conditio per ſe 1. concurrat ad conſtituendam eſſentiam ſpecificam furti: eſſe autem rem magnam, aut parvam, eſt circumſtantia furti; quia, quamvis abeſſet hæc vel illa quantitas, adhuc actus eſſet malus in ſpecie furti. Poteſt tamen affectio, ſeu conditio aliqua eſſe circumſtantia reſpectu actûs ſpectati ſecundùm ſe, & ſub primâ ejus malitiâ, & nihilominus eſſe intrinſeca, & eſſentialis eidem actui ſpectato ſub aliâ ulteriori malitiâ. Tales ſunt circumſtantiæ, quæ dicuntur mutantes ſpeciem actûs, ut, ſi quis v. g. cognoſcat uxorem alie-

nam carnaliter, conditio perſonæ, quæ eſt circumſtantia iſtius actûs, quatenus eſt fornicatio, ſeu acceſſus ad non ſuam, eſt de eſſentiâ ejuſdem, ut eſt adulterium. 2. Ad circumſtantiam requiritur, ut ad bonitatem, vel malitiam moralem actûs aliquo modo conferat: nam ſi ad hoc impertinenter ſe habeat, non cenſebitur circumſtantia actûs ſpectati in genere moris, de quâ hîc ſolùm agitur. Unde quòd furtum, aut homicidium ſit commiſſum manu dextrâ, vel ſiniſtrâ, manè vel veſperi &c. non eſt circumſtantia, de quâ hîc, quia ad malitiam actûs impertinenter ſe habet.

Q. 2. *Quotuplex eſt circumſtantia in genere?*

R. Circumſtantiarum in communi duo eſſe genera. Quædam enim bonitatem, vel malitiam actûs intra eandem ſpeciem augent, vel minuunt. Et hæ dicuntur circumſtantiæ aggravantes, vel minuentes, ut quantitas magna, vel parva in furto. Aliæ peculiarem bonitatis, vel malitiæ ſpeciem adferunt, ut, ſi quis furetur in loco ſacro, præter malitiam furti, addit actui ſpecialem malitiam ſacrilegii. Et hæ dicuntur circumſtantiæ mutantes ſpeciem. Certum eſt circumſtantias mutantes ſpeciem eſſe exprimendas in confeſſione. An verò ſint etiam exprimendæ circumſtantiæ notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem, alii affirmant, alii negant, de quo in tractatu de Pœnitentiâ. Porrò circūſtantiarum mutantium ſpeciem aliæ ſunt, quæ novā bonitatis, vel malitiæ ſpeciem adferunt actui retinenti propriam ſpeciem, quam habet ex proprio objecto, ut locus ſacer reſpectu furti: Aliæ, quæ mutant ſpeciem actûs moralis, deſtruendo propriam ipſius bonitatem, & transferendo ad aliquam ſpeciem malitiæ, ut, ſi conjugi in loco ſacro debitum reddas, mutatur opus juſtitiæ in ſacrilegium.

Q. 3. *Quæ ſint actuum circumſtantiæ in particulari?*

R. a. S. Tho. poſt Tullium aſſignari ſeptem, quæ hoc verſu continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis ſignificat conditionem, ſeu qualitatem perſonæ operantis: ut in fornicante, quòd ſit conjugatus, conſanguineus, aut affinis, Sacerdos &c.

Quid ſignificat non ipſum objectum ſecundùm ſe (quod non eſt circumſtantia, cùm pertineat ad ſubſtantiam actûs) ſed ejus quantitatem: ut in furto magnum & parvum. Item conditionem perſonæ, circa quam actus verſatur: ut ſi is, qui percutitur, ſit parens, clericus, nobilis, plebeius &c. Unde ſub ly *quid* comprehenditur etiam *circa quid.*

Ubi denotat circumſtantiam loci, an ſit ſacer, profanus, publicus &c.

Quibus auxiliis inſtrumenta, vel adjutores, quibus actio peracta eſt: ut ſi nobilem fuſte percuſſeris, ſi ſicarios ad homicidium adhibueris &c.

Cur finem extrinſecum operantis: ut ſi quis occidat ad ſpoliandum: furetur ad ſe inebriandum &c. Dixi *extrinſecum operantis*, quia finis intrinſecus operis non eſt circumſtantia, ſed pertinet ad eſſentiam actûs moralis, cùm ſit ejus objectum formale.

Quomodò modum actionis, an intensè, an remiſsè, an ex paſſione, an ex malitiâ, an ex perfectâ, an ex imperfectâ advertentiâ &c.

Quando tempus, an die feſto, an parvâ, aut longâ morâ &c.

Circumſtantia *quoties* non tam eſt circumſtantia, quàm ſubſtantialis ipſorum actuum multiplicatio.

Q. 4. *An etiam dentur circumſtantiæ actuum internorum?*

R. Dari: quarum aliquæ ſe tenent ex parte ip-

ſius actûs, ut ſunt intenſio, duratio, major aut minor libertas, cognitio, facilitas &c. aliæ ſe tenent ex parte objecti, quæ, licèt in eo deficiant à ratione propriæ circumſtantiæ, quòd, ut conferant actui bonitatem aut malitiam, debeant aliquo modo eſſe volitæ; & ita habeant aliquo modo rationem objecti: quia tamen non tribuunt actui primam ſpeciem moralem, ſeu primam bonitatem aut malitiam (hæc enim habetur ab objecto ſecundùm ſe,) ſed eâ ſuppoſitâ, ſolùm conferunt ad ejus augmentum vel diminutionem, & ſubinde ad aliam ſpeciem transferunt; rectè dicuntur circumſtantiæ, licet minùs propriè, quàm reſpectu actuū externorum. Tales ſunt circumſtantiæ loci, temporis, conditio perſonæ &c. Nam voluntas fornicandi v. g. cum perſonâ ſacrâ, aut in loco ſacro, præter malitiam fornicationis, quæ eſt primaria iſtius actûs, utpote petita ab objecto ſecundùm ſe, annexam habet malitiam ſacrilegii, quæ eſt ſecundaria, & accidentalis actui, ſumpto præcisè ut fornicatio eſt; utpote quæ non petitur ab objecto ſecundùm ſe, ſed ab aliquâ ejus circumſtantiâ, nempe conditione perſonæ aut circumſtantiâ loci ſacri.

CAPUT VII.

De electione.

Q. 1. *Quomodo electio accipiat bonitatem, aut malitiam tum à fine, tum à medio, quod eligitur?*

R. 1. Electio medii per ſe mali ad finem malum participat duplicem malitiam, unam à fine, alteram à medio; & conſequenter erit duplex ſpecie peccatum, ſi malitia medii ſit alterius rationis

tionis à malitiâ finis. Patet in eo, qui vult furari ad fornicandum; talis enim electio eſt voluntas efficax duplicis operis mali, furti ſcilicet & fornicationis. Quòd ſi medium & finis habeant malitiam ejuſdem rationis v. g. injuſtam damnificationem, ſed diſparatam, id eſt, quarum neutra ſit alteri ſubordinata, nec reſpiciant eandem perſonam, erit duplex numero malitia, ut ſi Petrus velit comburere ſegetes Joannis, intendens hâc ratione damnum creare Paulo, cujus domus vicina eo incendio comburenda eſt. Quòd ſi malitiæ ejuſdem rationis ſint ſubordinatæ, ut tactus impudici ordinati ad fornicationem; vel reſpiciant eandem perſonam, ut ſi Petrus ad comburendam domum Pauli, incendat ejus ſegetes, tunc moraliter cenſetur unum numero peccatum, ſed gravius.

2. Electio medii de ſe honeſti ad finem pariter honeſtum, ſed honeſtate alterius rationis, accipit ſpecialem bonitatem à medio, ſi ejus honeſtas aliquo modo intendatur, aliàs non. Patet ex dictis ſuprà, quia ut objectum communicet actui bonitatem ſuam, debet ſaltem confusè intendi propria ejus honeſtas.

Declaratur 1ª. pars, in caſu, quo medium non appetatur ſolùm ut medium, ſed etiam propter ſpecialem ſuam honeſtatem; ita ut virtualiter ſit duplex intentio. Item quando honeſtas medii quà talis eligitur ut conducens ad finem, ut ſi quis per jejunium intendat placere Deo, ſatisfacere pro peccatis &c. tunc enim electio accipit duplicem bonitatem, unam à fine, alteram à medio. Declaratur etiam 2ª. pars: quia fieri poteſt, ut ad finem eligatur medium de ſe bonum, cujus tamen non intendatur propria honeſtas, & tunc electio nihil ab eo participat bonitatis. patet in eo, qui medium de ſe bonum eligit præcisè ut medium,

ſivè ſic, ut in illo ſolùm ſpectetur, & placeat bonitas finis: ut ſi quis eligat actum temperantiæ, non ex affectu ad honeſtatem illius, ſed præcisè ad ſervandam caſtitatem: talis enim electio participat ſolùm bonitatem finis v. g. caſtitatis, non bonitatem medii v. g. temperantię.

Coll. omnem electionem mali medii eſſe malam, non è contrà omnem electionem boni medii eſſe bonam. Quia, ut dictum eſt, ad malitiam participandam ſufficit volitio objecti, quod cognoſcitur eſſe malum: ad participandam verò bonitatem, debet objecti honeſtas ſpecialiter intendi.

3. Si medium, quod eligitur ſit indifferens, electio non accipit bonitatem aut malitiam ab illo tamquam objecto, ſed ſolùm à fine: poterit tamen ab ejuſmodi medio bonitatem, aut malitiam accipere, tamquam à circumſtantiâ. 1ª. pars patet, quia objectum, ut indifferens, non poteſt per ſe conferre actui bonitatem, aut malitiam; ergo in dicto caſu ſolus finis, non autem medium, illam conferet. Prob. 2ª. pars, quia ſi medium ſit in ſe difficilius, poterit ab illo, ut tali, augeri bonitas petita ex fine: erit enim ſignum ſpecialis affectûs ad honeſtatem finis, ratione cujus ſuperatur difficultas medii.

Q. 2. *An omnis electio medii, quantumvis ex ſe boni, ſi fiat ob malum finem, ſit abſolutè mala?*

R. Eſſe abſolutè malam, ſi fiat ob malum finem intrinſecè, & ex objecto ſuo; quia nempe talis electio habet objectum formale abſolutè malum. Dixi *intrinſecè* & *ex objecto ſuo*; quia, ut dicetur cap. ſeq. electio boni medii non accipit malitiam à fine extrinſeco, id eſt, quem ipſa non reſpicit, ſed ad quem ab intendente finem extrinſecè ordinatur; ſicut nec actus internus imperatus accipit bonitatem, aut malitiam ſpecialem à fine extrinſeco, ad quem ab actu imperante extrinſecè ordinatur.

Q. 3. *An malitia electionis mali medii imminuatur propter bonum finem?*

Suppono ex dictis electionem mali medii propter bonum finem, eſſe abſolutè malam, ſi nempe medium cognoſcatur malum, ſaltem confusè: nam ſi ejus malitia invincibiliter ignoretur, electio erit bona formaliter. Quæritur an malitia talis electionis ſaltem imminuatur propter bonum finem, quem reſpicit?

R. Communiter imminui, juxta illud Aug. *pejor eſt, qui concupiſcendo, quàm qui miſerendo furatur*, nempe ut pauperi ſubveniat.

Ratio eſt 1. quia eo ipſo, quòd quis fertur in objectum malum, non propter ſe, ſed propter finem honeſtum, ex rei naturâ minùs afficitur erga objectum malum, quàm ſi ferretur in illud ſecundùm ſe. 2. quia talis electio habet ſaltem annexam bonam circumſtantiam. Itaque Aug. lib. 50. homiliarum homiliâ 7. dicens eum, qui pauperibus tribuit id, quod abſtulit, addere potiùs peccatum, quàm minuere, intelligendus eſt de eo, qui rem furto ſublatam dat pauperibus in iis circumſtantiis, quibus reſtituenda eſſet Domino.

Q. 4. *An ſimiliter intentio boni finis vitietur per electionem malam?*

R. Cum diſtinctione: ſi enim finis intendatur cum determinato ordine ad medium malum, ut ſi quis intendat dare eleemoſynam ex furto, clarum eſt eam intentionem eſſe abſolutè malam, cùm habeat partiale objectum malum: at ſi finis honeſtus intendatur ſine ullo determinato ordine, etiam implicito, ad medium illicitum, ut ſi quis intendat dare eleëmoſynam eo tempore, quo id honeſtè poteſt, non cogitando de medio illicito, & deinde ex avaritiâ, aliâve ratione eligat eam dare ex pecuniâ furto ſublatâ, intentio fuit bona, ſed mala eſt ſubſequens electio.

CAPUT VIII.

De Actibus imperatis.

Q. 1. an actus internus voluntatis, efficaciter imperatus, habeat propriam bonitatem, aut malitiam diſtinctam à bonitate, aut malitiâ actûs imperantis?

Duplex eſt modus, quo voluntas ſibi ipſi actum internum imperare poteſt. Primus eſt, quo unum actum à ſe eliciendum vult per alium actum reflexum, & realiter diſtinctum. Quamvis enim voluntas, ad hoc ut amet, non indigeat alio actu, quo velit amare; tamen pro ſuâ libertate poteſt id facere, ſi velit, ſicut poteſt velle actum intellectûs, vel alterius potentiæ à ſe diſtinctæ. Quando ergo voluntas ſic agit, prior actus reflexus dicitur *imperans*, & poſterior dicitur *imperatus*. Alter modus eſt, quando actus imperans eſt efficax intentiò finis, & actus imperatus eſt electio medii, de quâ cap. præced. Nam inter hos actus eſt etiam naturalis quædam connexio, ratione cujus intentio finis movet voluntatem ad electionem medii; quia licet intentio non ſit formalis voliſio electionis, nihilominus, ſi eſt vera, & abſoluta intentio finis, virtualiter includit volitionem mediorum, & ideò efficaciter applicat voluntatem ad electionem. hoc poſito.

Quæritur an in utroque illo imperandi modo, actus efficaciter imperatus habeat propriam bonitatem, aut malitiam? an v. g. actus amoris Dei, imperatus ab efficaci volitione amandi, habeat bonitatem propriam diſtinctam à bonitate actûs

imperantis ? item an contritio v. g. quam quis ſibi imperat ex volitione efficaci obtinendi remiſſionem peccatorum, elicitâ ex metu gehennæ, habeat bonitatem & meritum contritionis?

Negant Lugo, Arriaga, Oviedus &c. Docentes actum voluntatis imperatum, qui nempe efficaciter imperatur, ut ponendus hîc & nunc, non habere propriam bonitatem, aut malitiam moralem, eo quòd talis actus inimpedibiliter ſequatur ex actu imperante, & conſequenter non habeat propriam libertatem, adeóque nec bonitatem, aut malitiam moralem.

Hæc ſententia difficilis eſt, 1. quia per ſe abſurdum videtur eum, qui ex voluntate efficaci eliciendi actum contritionis, illum hîc & nunc elicit, minus mereri apud Deum, quàm ſi ſolam contritionem eliceret, nullâ præcedenti tali voluntate efficaci. Deinde ipſe actus contritionis, aut amoris Dei ſuper omnia, ex ſe longè difficilior eſt, & præſtantior, quàm voluntas efficax habendi contritionem; cùm motivum hujus voluntatis non ſit divina bonitas ut amabilis purè propter ſe, ſed ſolùm honeſtas moralis iſtius actûs. Et verò non ſtatim atque habemus voluntatem contritionis, hoc ipſo habemus ipſam contritionem: & tamen juxta illam ſententiam tota libertas, adeóque & totum meritum eſſet penes voluntatem contritionis, non penes ipſam contritionem. Similiter is, qui ex voluntate efficaci obtinendi aliquid à Dæmone, aut ex alio pravo affectu, & malo fine, ſibi hîc & nunc efficaciter imperaret odium Dei, non peccaret formaliter odio Dei, ſed ſolùm pravâ illâ voluntate habendi odium Dei, quæ de ſe minùs mala eſt, quàm ipſum formale odium Dei. 3. ex illâ ſententiâ ſequitur eum, qui urgente præcepto (v. g. in fine vitæ) vellet efficaciter contritionem elicere, ne alioqui damnaretur, &

de facto illam eliceret, non juſtificandum per talem contritionem; quia nempe ea non eſſet formaliter in ſe libera, nec haberet bonitatem, nec meritum contritionis proprium. Itaque

R. & dico: omnis actus internus voluntatis, quantúmvis ab eâdem voluntate efficaciter imperatus, retinet propriam libertatem diſtinctam à libertate actûs imperantis, & conſequenter propriam bonitatem, aut malitiam. Ita Suar. Vaſq. Ripald, &c qui tamen ſinguli diverſam ſuæ ſententiæ explicationem tradunt. Facillima eſt, quam tradit Vaſq. 1. 2. diſp. 51. cap. 5. dicens actum internum imperatum habere propriam libertatem, & moralitatem omninò diſtinctam ab actu imperante, quia quando voluntas ex deſiderio pœnitentiæ v. g. ſibi imperat actum amoris Dei, non aliter concurrit actus pœnitentiæ ad actum amoris, quàm impellendo intellectum, ut applicet motiva ad actum amoris excitandum; quibus motivis applicatis, adhuc eſt in voluntatis poteſtate non elicere amorem Dei; quare ſi eliciatur habebit ſuam libertatem, & moralitatem diſtinctam à moralitate actûs pœnitentiæ.

Quod autem dicimus de actu voluntatis efficaciter imperato, ſimiliter dicendum eſt de electione medii, poſitâ efficaci intentione finis, nempe talem electionem retinere propriam libertatem, & conſequenter propriam bonitatem, aut malitiam diſtinctam à bonitate, aut malitiâ intentionis finis.

Aliud eſt de actu externo efficaciter imperato, qui, cùm de ſe non habeat ſpeciale motivum, à quo ulteriùs determinari poſſit, ſed totam ſuam determinationem habeat ab ipsâ voluntate, illum efficaciter imperante; non habet propriam libertatem, adeóque nec bonitatem, aut malitiam diſtinctam à bonitate, aut malitiâ actûs imperantis.

Q. 2. An actus internus imperatus accipiat aliquam bonitatem, aut malitiam ab actu imperante?

Quando v. g. ut Deo ſatisfaciam pro peccatis, impero mihi actum internum charitatis; quando ex motivo charitatis impero mihi actum internum patientiæ &c. Item quando quis ex iracundiâ, aut ſuperbiâ &c. imperat ſibi actum internum intemperantiæ, luxuriæ &c. an actus internus charitatis ſic imperatus, accipiat aliquam bonitatem ſpecialem ex eo, quòd imperetur ex affectu pœnitentiæ? an actus patientiæ ex eo, quòd imperetur ex affectu charitatis &c. Item an actus internus intemperantiæ, luxuriæ &c. accipiat malitiam ſpecialem ex eo, quòd imperetur ab actu iracundiæ, ſuperbiæ &c?

Certum eſt actum internum imperatum (& idem eſt de internâ electione medii, poſitâ efficaci intentione finis) habere ſuam bonitatem, aut malitiam intrinſecam à ſuo objecto formali, ſeu fine, quem reſpicit; adeóque ſi eliciatur ex eodem motivo, quo actusimperans, participat bonitatem, aut malitiam actûs imperantis. Verùm hîc aliud quæritur, an ſcilicet actus imperatus charitatis, patientiæ &c. præter propriam bonitatem intrinſecam, quam habet ab objecto ſuo, ſeu fine intrinſeco,quem reſpicit; accipiat ſpecialem bonitatem extrinſecè à fine extrinſeco, id eſt, quem ipſe non reſpicit, ſed ad quem ab imperante, aut finem intendente,extrinſecè ordinatur.

R. Negativè. Vaſq. hîc diſp. 51. cap. 5. Leſſ. Præpoſ. Coninch. qui dicit ferè eſſe communem. contra Caïet. Salas. Granad. Lugo, &c. prob. 1. ex S. Tho. hîc q. 18. art. 6. ubi in hoc diſtinguit actum externum ab interno voluntatis; quòd ille poſſit ab hoc moraliter informari, atque ita, dum ab eo ad finem extrinſecum ordinatur,

ab eodem bonitatem, aut malitiam accipere; quod generatim negat de actu voluntatis. Hinc ibid, ad 2. dicit, *actui exteriori accidere poſſe referri in finem extrinſecum, at verò actui interiori id accidere non poſſe.* Prob. 2. quia alioqui actus charitatis poſſet fieri malus, ſi imperaretur ex intentione venialiter malâ v. g. ex vanâ gloriâ &c. Item ſi quis ex fine venialiter malo vellet confiteri, & idcircò imperaret ſibi dolorem de peccatis, dolor iſte eſſet vitioſus, & de ſe inutilis ad effectum ſacramenti. Quæ licet aliqui ex adverſariis admittant, nimis tamen dura ſunt, nec videntur admittenda. Confir. quia actus imperans non participat ab actu imperato eandem ſpecie bonitatem, ſed diverſam, (nam volitio eliciendi actum amoris Dei non habet bonitatem ipſius amoris) quia nempe imperans non attingit illius objectum formale; ergo nec actus imperatus participat bonitatem, aut malitiam actûs imperantis.

Dices S. Tho. Quæſt. 17. art. 4. dicit *imperium, & actus imperatus ſunt unus actus humanus* & q. 13. art. 1. & 2.2. q. 124. art. 2. ad 2. dicit actum martyrii ſubſtantialiter eſſe à fortitudine, & formaliter eſſe charitatis imperantis, ergo cenſet bonitatem actûs imperantis convenire huic actui extrinſecè. Idem docet alibi de actu eleemoſynæ, qui imperatur à charitate.

R. Primum locum eſſe intelligendum de actu imperato externo, ut patet conſideranti textum. Similiter 2. loco non loquitur de actu interiori fortitudinis, qui feratur in actum externum fortitudinis propter ipſum, & imperetur ab actu reflexo ex motivo charitatis, prout intelligenda noſtra reſolutio; ſed de affectu interiori circa actum externum fortitudinis, ex motivo charitatis, non ex motivo fortitudinis. Item de affectu

interiori circa eleëmoſynam ex motivo charitatis. Et hoc ſenſu verum eſt tales actus internos habere bonitatem charitatis. Si autem ſermo ſit de actu interiori fortitudinis, qui feratur in objectum fortitudinis propter ipſum, etiamſi imperetur à charitate, habet ſolam bonitatem fortitudinis, diſtinctam à bonitate charitatis. Alioqui enim actui etiam interiori accideret referri in finem extrinſecum, quod eſt contra S. Doctorem ſuprà.

Q. 3. *An actus internus & externus, ſimul ſumpti, plus habeant meriti vel demeriti, quàm internus ſolus?*

Sive an actus externus aliquid addat meriti, vel demeriti actui interno, à quo efficaciter imperatur?

R. Negativè per ſe loquendo. Ita communiter Theologi cum S. Tho. Q. 20. art. 4. contra Scotum, & quoſdam alios. prob. 1. ex Scripturâ pluribus locis ſignificante apud Deum voluntatem pro facto reputari, ut Gen. 22. Abrahamo dicitur: *quia feciſti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi* &c. & Matt. 5. *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Unde Aug. lib. 1. de lib. arbit. cap. 3. docet eum, qui voluntatem habet committendi adulterium, nec tamen committit defectu poteſtatis. non eſſe minùs reum, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur. Prob. 2. ratione: quia in actu externo ſecundùm ſe nulla eſt libertas diſtincta à libertate actûs interni, ergo nec nova bonitas, aut malitia formalis, & conſequenter nec novum meritum, aut demeritum.

Dixi *per ſe loquendo*: quia ſæpiſſimè ex occaſione actûs externi augetur per accidens bonitas, aut malitia actûs interni: quod, ut notat S. Th. loco citato, fieri poteſt tripliciter. 1. ſecundùm nu-

merum, ſeu ratione multiplicationis numericæ actuum voluntatis, qui ſæpe in ipsâ executione reperiuntur. 2. quoad extenſionem pro ratione majoris eorum durationis. 3. Secundùm intenſionem: ſæpe enim fit, ut ratione arduitatis, aut delectabilitatis actuum externorum, voluntas eliciat actus intenſiores, & magis meritorios.

Quando S. Bernardus Epiſt. 77. dicit plus eſſe meriti in perpeſſione martyrii, quàm in ſolâ voluntate illud perpetiendi; ſumit latiùs nomen *meriti*, prout etiam comprehendit valorem, quem martyrium habet, quaſi ex opere operato, ſive ex privilegio illi ex Divinâ liberalitate conceſſo.

Quo ſenſu etiam rectè dicitur plus eſſe meriti in actuali ſuſceptione alicujus Sacramenti v. g. Euchariſtiæ, quàm in ſolâ voluntate illud ſuſcipiendi, quantumvis efficaci. Certum enim eſt, plus gratiæ, & conſequenter gloriæ, etiam per ſe, conferre Sacramentum reipsà ſuſceptum, & martyrium reipsà perpeſſum, quàm conferat efficax illorum volitio; adeòque, quoad ſimiles effectus, qui fiunt ex opere operato, vel ex privilegio, quibuſdam operibus annexo, voluntatem pro facto non reputari. Idem dicendum de ſatisfactione, quæ cùm fiat per punitionem, & pœnæ tolerantiam, augetur per acceſſum operis externi, quod ſecundùm ſe eſt magis pœnale, quàm actus internus.

Pro ſolutione variorum, quæ opponi poſſunt, Nota, ut voluntas reputetur pro facto, debere eſſe omninò efficacem, quantum eſt ex parte ſuâ, & de opere hîc & nunc ponendo: nam quando opus, quod quis intendit, non offertur ut hîc & nunc immediatè mandandum executioni, ſed ſucceſſivè, & vi plurium aliorum actuum, non debet cenſeri voluntas illud efficaciter intendere, nec reputari pro facto;

cùm ad ejus executionem requirantur multi actus intermedii, poſſitque homo ſucceſſu temporis mutare propoſitum, & ceſſare ab executione. Hinc ſi quis v. g. voluntatem habeat jejunandi totâ vitâ, non meretur iſto ſolo actu, quantum reipsà jejunando totâ vitâ: nec ſi quis perverſam habeat voluntatem blaſphemandi per annum diebus ſingulis, tantum peccat ſolo illo actu, quantum ſi reipsà toto anno blaſphemaret. Similiter qui cuperet tantum præſtare, & mereri, quantum S. Petrus; non ideò tantumdem mereretur&c.

Dices: ſaltem ex hâc doctrinâ ſequitur eum, qui vellet efficaciter hîc & nunc dare eleëmoſynam infinitam, ſi poſſet, aut infinitis pauperibus; illo ſolo actu tantumdem mereri, quantum ſi reipsà illam daret.

R. Admittendo ſequelam, ſi talis voluntas ſupponatur eſſe omninò efficax, & homo ille, ita eſſe animo diſpoſitus, ut ſi hîc & nunc in ejus poteſtate eſſet, reipsà eleëmoſynam illam faceret infinitis pauperibus. An autem talis eleëmoſyna, & conſequenter talis actus dicendus eſſet meriti infiniti, non eſt noſtri inſtituti examinare. Communiùs negatur; quia intellectus iſtius objecti infinitatem non ſibi repræſentat diſtinctè, & adæquatè illius bonitati; ſed ſolùm confusè, & non aliter, quàm ut ingentem quamdam eleëmoſynarum multitudinem.

Q. 4. *An dari poſſint actus humani indifferentes in individuo; ſeu qui, in ſui exercitio, neque ſint boni, neque mali moraliter?*

Dixi *moraliter*; quia certum eſt dari actus humanos, hoc eſt, advertenter, ac deliberatè elicitos, qui ſunt indifferentes, hoc ſenſu, quòd neque ſint meritorii, neque demeritorii coram Deo. Tales ſunt actus moraliter boni merè naturales, ſaltem infidelium.

R. Probabiliùs videtur non poſſe dari ejuſmodi actus indifferentes in individuo, ſaltem per ſe loquendo; ſed actum quemlibet humanum, ſpectatis omnibus, eſſe in ſui exercitio, vel bonum, vel malum moraliter. Ita S. Tho. cum ſuis. Item Suar. Bellar. Salas, Valentia. Becan. Granad. Præpoſ. & alii communiùs. contra Scotum cum ſuis, item Vaſq. Leſſ. Malder. Wiguers, Arriagam &c.

Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens dari poſſunt, & ſubinde dantur de facto ejuſmodi actus indifferentes; ut ſi quis ex ignorantiâ invincibili, vel ob probabilitatem oppoſitæ ſententiæ, operetur non dirigendo ſuam actionem ad finem honeſtum.

Prob, ex illo Matt. 12. *omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Ex quo ſic formatur argumentum; de omni verbo otioſo reddenda erit ratio in die judicii, utique tamquam de peccato; ergo ſimiliter reddenda erit ratio de opere otioſo; eſt enim par ratio, immò potior, dicente Hieron. in Pſal. 16. *ſi de verbis otioſis redditur ratio, quanta magis de operibus*? ſubſumo: atqui omnis actio humana, & deliberata, vel eſt bona moraliter, vel ſaltem otioſa; ergo abſolutè vel eſt bona, vel mala. Prob. ſubſump. quia omnis actio humana, vel refertur ad finem honeſtum rectæ rationi conformem, & ſic eſt moraliter bona; vel non refertur ad ejuſmodi finem, & ſic ſaltem eſt otioſa; nam ſicut juxta SS. Patres verbum otioſum eſt, quod caret fine, ſive ut loquitur Hieron. *quod ſine utilitata loquentis dicitur, & audientis*: ita & opus otioſum. Hinc Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. dicit; *cùm facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccara convincitur.* Et infrà: *quidquid boni ſit ab homine,*

& non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit; etſi officio (id eſt ex objecto) *videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Similia habent Fulgentius & Proſper Aug. diſcipuli, quos propterea, & ipſum Aug. fuiſſe in noſtrâ ſententiâ, fatetur Vaſquez.

Dices 1. Hieron. Epiſt. 89. dicit: *bonum eſt continentia, malum eſt luxuria; inter utrumque ambulare* &c. Et ne dicatur ſolùm velle, quòd dentur actus indifferentes ex objecto, ſeu ſecundùm ſpeciem, ſtatim ſubdit: *ſive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam.*

R. Eſſe intelligendum de indifferentiâ ex objecto. Neque obſtat illud: *ſive feceris, ſive non feceris* &c. quia tantùm vult, te non fore propterea laude; aut vituperio dignum; ſcilicet quantum eſt ex objecto.

Dices 2. deliberatè ſpuere, fricare manus, ambulare, comedere, ſe calefacere, &c. propter ſanitatem, aut aliquam naturæ commoditatem, ibi ſiſtendo, non ſunt opera moraliter bona; cùm non fiant ob honeſtatem, aut motivum alicujus virtutis, ut ſupponitur; nec ſunt per ſe mala; quia alioqui homines etiam juſti, ac timorati, ferè continuè peccarent, cùm communiter non ſint ſolliciti, ut talia opera in alium honeſtum finem referant; neque de iis ſe accuſant in confeſſione. Ergo ſunt indifferentia, etiam in individuo.

R. cum Suar. Granad. &c. dupliciter poſſe aliquid fieri ob naturę commodum: nempe vel ob commodum naturæ, ut animalis eſt, vel ut humana eſt, & rationalis; quod tunc fit, cùm homo ad iſtam actionem adhibet rationis regulam, & concipit eſſe rationi conforme, hoc vel illo modo ſubminiſtrare ſuæ naturæ, quæ illi conveniunt, aut neceſſaria ſunt. Si prædictæ actiones,

aliæque ſimiles, fiant hoc 2°. modo, ſunt honeſtæ; ſi 1. modo, ſeu præciſè more brutorum, quæ etiam comedunt ad ſedandam famem; bibunt, quia ſitiunt; calefaciunt ſe, quia frigent &c. ſunt malæ; cùm homo debeat bruta tranſcendere in ſuo operandi modo. Atque huc referri poſſunt duæ iſtæ propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI.: *comedere & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Et: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ, ac defectu veniali.*

Neque ex hâc ſententiâ ſequitur homines, etiam timoratos, ferè continuè peccare; tum quia in iſtis actionibus plerumque deeſt libertas moralis, nec apprehenditur iſta obligatio; tum quia timorati ſolent actus ſuos, ſaltem virtualiter, aut implicitè, in finem honeſtum referre. Quod non eſt adeò difficile, præſertim iis, qui cavere ſolent, ne ſuis actionibus admiſceatur aliquid inordinatum.

Cæterùm ex allatis authoritatibus, & rationibus in contrarium patet, ſententiam oppoſitam, ſaltem intellectam de iis actionibus, in quibus præciſè intenditur moderata naturæ commoditas, eſſe etiam valde probabilem; immò quibuſdam, etiam noſtræ ſententiæ authoribus, videri in praxi conſulendam; quia illam ſequendo vitatur periculum multiplicandi venialia, cùm per hoc fiat ut actiones illæ, quæ juxtà nos fieri nequeunt ſine peccato otioſitatis, non ſint peccata formaliter, id impediente, ut volunt, opinione probabili, & practicè tutâ. Verum aliundè ſequendo noſtram ſententiam, quiſque redditur diligentior in referendis actionibus ſuis quibuſcumque ad honeſtum finem.

Q. 5. *Quomodo voluntas humana debeat confor-*

mari Divina ut ſit honeſta?

Nota ex S. Tho. Q. 19. art. 10. voluntatem humanam poſſe conformari Divinæ tribus modis. 1. Secundùm rationem cauſæ efficientis (ut loquitur S. Tho.) id eſt, volendo id, quod Deus vult illam velle. 2. In volito materiali, id eſt, volendo idem, quod Deus vult. 3. In volito formali, id eſt, volendo id, quod vult Deus ob eandem rationem, ob quam vult Deus.

R. 1. Voluntas humana, ut recta ſit, debet conformari Divinæ 1. modo, ſeu velle id, quod Deus vult illam velle. Intellige de voluntate præcepti, non conſilii, aut ſolius approbationis: nam licet laudabile ſit conformare ſe Dei conſiliis, non tamen eſt neceſſarium.

R. 2. Homo non tenetur univerſaliter ſe conformare voluntati Divinæ in volito materiali; ſed ſæpè poteſt affectu inefficaci, & conditionato nolle id, quod ſcit Deum efficaciter velle. Id prob. Aug. Enchir. cap. 101. ex eo, quòd poſſit bonus Filius velle patrem vivere, quem Deus vult mori. Idem patet exemplo Chriſti, affectu conditionato mortem refugientis. Ratio à priori eſt, quia cùm idem objectum poſſit ſub unâ ratione repræſentari ut bonum, & ſub aliâ ut malum, Deus tamquam gubernator univerſalis poteſt aliquid velle, ut conducens bono communi, cujus oppoſitum poteſt homo licitè deſiderare, & illud refugere, ut repugnans bono particulari, ad quod ipſe habet inclinationem naturalem. Eamque honeſtam, & à Deo inditam: ſicut, inquit S. Tho. judex habet bonam voluntatem, dum vult occiſionem latronis, quia juſta eſt: voluntas autem alterius, puta uxoris, vel filii, qui vult non occidi, in quantum ſecundùm naturam, illi mala eſt occiſio, etiam bona eſt.

Nota tamen voluntatem illam, ut dixi, debe-

re eſſe ſolum inefficacem, ſeu conditionatam, & cum debitâ ſubmiſſione ad voluntatem divinam: quia, quando conſtat Deum ex parte ſuâ efficaciter aliquid velle, ſtultum eſſet, & impium efficaciter velle oppoſitum. Poſſemus tamen eo caſu, & aliquando deberemus adhibere media, de ſe utilia ad malum avertendum, non ex intentione directâ illud avertendi, ſed differendi, vel alicui obligationi ſatisfaciendi. Si tamen non omninò conſtet de abſolutâ, & efficaci Dei voluntate, poſſumus etiam efficaciter velle quæcumque mala à nobis, aut proximo avertere; præſertim cùm Deus plerumque hæc non velit voluntate antecedenter efficaci, ſed tantùm conſequenter, poſito nimirum quòd non impediantur &c.

R. 3. Neque tenetur homo in omnibus voluntatem ſuam poſitivè conformare Divinæ in volito formali, ſeu ſecundùm rationem formalem, propter quam Deus vult; neque tenetur omnia expreſsè velle propter Divinam bonitatem, ſive ex motivo charitatis. Ratio utriuſque eſt, quia ad rectè agendum ſufficit, ut quis moveatur honeſtate cujuſcumque virtutis. Item, quando Deus aliquid præcipit ob certum finem, ſufficit quòd velim id facere ex intentione ſatisfaciendi præcepto, quamvis actum meum non referam ad finem, quem Deus ſpecialiter intendit ex meâ actione.

Q. 6. *An ſemper licitum ſit velle id, quod vult Deus?*

Ratio dubitandi eſt, 1. quòd videatur eſſe contra pietatem, aut charitatem velle v. g. mortem patris, vel ejus damnationem, aut ſuam, quamvis conſtaret illam eſſe à Deo decretam. 2. quòd videamur non poſſe velle permiſſionem noſtri peccati, quam tamen Deus vult &c.

R. cum communiori id ſemper eſſe licitum; quia,

quiâ, licet non poſſint talia placere, antequam ſciamus ea eſſe à Deo efficaciter volita; neque poſſimus illa velle, quatenus præcisè ſunt mala noſtra, vel proximi; tamen, poſito quòd Deus ea inferre decreverit, non eſt illicitum ea velle ſub eo motivo, ſub quo Deus ea vult; ſive ut ita fiat voluntas Dei, & exerceatur bonum juſtitiæ &c. Et verò, ut docet Anſel. lib. de ſimilitudinibus cap. 63. Beati hoc modo Divinæ voluntati per omnia ſe conformant. Et juxta Bonav. B. Virgo voluit mortem Filii ſui, eo quòd ita eſſet decretum à Deo ob redemptionem generis humani.

Ad 1^{am}. dubitandi rationem, nego aſſump: quia, etſi charitas poſtulet, ut hæc mala ſecundùm ſe non velimus, immò & de illis, ut talibus, doleamus; ea tamen velle poſſumus, prout jam ſubſtant Divino beneplacito: hinc poteſt quis honeſtè optare, ut, poſito quòd ſit moriturus in peccato, ordo Divinæ juſtitiæ circa ſe ſervetur.

Ad 2^{am}. ſimiliter dicendum, quamvis, regulariter loquendo, non poſſimus optare, ut Deus permittat nos labi in aliquod peccatum; ſuppoſito tamen quòd Deus permiſſionem illam velit, non eſt illicitum illam approbare (ſecluſo ſemper affectu ad peccatum) ſub eo motivo, ſub quo Deus eam vult. Idem dic de privatione gratiæ, de quâ licet peccator dolere debeat, prout ſeparat à Deo; poteſt tamen eam voluntate ſimplici approbare, prout eſt præcisè Divinæ injuriæ vindicta &c.

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT PRIMUM.

De Conſcientiâ in communi.

Q. 1. *Quid ſit conſcientia?*

R. Eſt actus intellectûs practici dictantis aliquid hîc & nunc eſſe licitum, vel illicitum. Dicitur *intellectûs practici*, ut ſignificetur eſſe dictamen particulare de actione aliquâ, hîc & nunc ponendâ, vel omittendâ, ſpectatis omnibus ejus circumſtantiis in individuo, eamque hîc & nunc proximè dirigens in ordine ad executionem. Ad quod ſignificandum appellari ſolet *judicium practicè practicum, ſeu judicium ultimò practicum.* Ad diſtinctionem *judicii ſpeculativè practici*, ſeu *non ultimò practici*, quo quis ſpeculativè judicat aliquid in genere, ſeu abſtrahendo à circumſtantiis particularibus, eſſe licitum, vel illicitum, v. g. contractum triplicem eſſe licitum: non licere ſequi opinionem minùs probabilem de honeſtate actûs, relictâ probabiliori de ejus malitiâ &c.

Quamvis conſcientia ſumpta generaliùs, etiam

ſe extendat ad opera præterita, vel eâ accuſando tamquam malè facta; quod dicitur *remorſus conſcientiæ*; vel approbando tamquam rectè facta, quod dicitur *teſtimonium conſcientiæ*: eam tamen hîc non conſideramus ſub iſto reſpectu, ſed prout eſt antecedens actionem hîc & nunc ponendam, vel omittendam.

Differt conſcientiâ à ſynteresi, quòd hæc ſit habitus primorum, & univerſaliſſimorum principiorum practicorum, aut actus ei correſpondens, ut omne peccatum eſſe fugiendum; honorandos eſſe parentes; reddendum unicuique quod ſuum eſt &c. conſcientia autem ex ratione ſuâ particulari actionem humanam, prout hîc & nunc exercendam, attingat.

Q. 2. *Quomodo dividatur conſcientia?*

R. ſumpta generaliter dividitur 1. in obligantem, & permittentem. Obligans eſt, quæ dictat hominem peccaturum, ſi talem actum hîc & nunc ponat, aut talem omittat. Permittens eſt, quæ dictat hunc actum hîc & nunc licitè poni poſſe, illum omitti &c.

Dividitur 2. in veram ſeu rectam, & falſam ſive erroneam. Vera eſt, quæ ex principio practico vero deducitur, & dictat licitum eſſe, vel illicitũ, quod reipsâ tale eſt, ut hîc & nunc licitum eſſe, vel illicitum comedere carnes, quia reipsâ eſt, vel non eſt ab Eccleſiâ prohibitum. Conſcientia falſa, ſive erronea eſt, quæ ex falſo, ſive erroneo judicio practico deducitur, & dictat licitum eſſe, vel illicitum, quod non eſt reipsâ tale. Ut ſi quis judicet ſibi licitum eſſe hîc & nunc mentiri, falsò putans licitum eſſe mendacium pro avertendo proximi damno. Vel ſi quis judicet ſibi eſſe illicitum comedere carnes, falsò putans eſſe diem jejunii. Erronea ſubdividitur in vincibilem, & in invincibilem, ſicut dictum eſt de ignorantiâ.

Dividitur 3. in certam, probabilem; dubiam, ſcrupuloſam; quamquam dubia & ſcrupuloſa non ſint propriè conſcientia, cùm verè non includant judicium practicum. *Conſcientia certa* eſt, quæ abſque ullâ formidine dictat talem actum hic & nunc certò eſſe licitum, aut illicitum. Unde etiam convenit conſcientiæ invincibiliter erroneæ; eo quód ad evitandum peccatum formale æquè ſerviat invincibilis ignorantia malitiæ, quàm notitia evidens honeſtatis. *Conſcientia probabilis* eſt, quæ nititur principiis non ita certis, probabilibus tamen, ex quorum ſimilibus homines, etiam prudentes, in rebus momenti aſſenſum præſtare ſolent; patitur tamen formidinem de oppoſito. De his agemus ſpecialiter in ſequentibus.

CAPUT II.

De Conſcientiâ erroneâ.

Q. 1. *An ſit peccatum agere contra conſcientiam erroneam?*

An v. g. peccet is, qui falsò putans eſſe diem jejunii, carnes comedit; qui falsò putans ſe obligari ad audiendas Veſperas diebus dominicis, illas non audit? &c.

R. aff. eſt communis, & certa, ex illo Apoſt. ad Romanos 14. *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Hoc eſt (ut interpretantur Origenes, Ambroſ. Chryſoſt. aliique Patres apud Vaſq.) qui non operatur *ex fide*, id eſt, ex judicio conſcientiæ, ſeu perſuaſione, quòd licitè agat, peccat. Ratio eſt, quia qui ponit actionem in ſe bonam, putans eſſe malam, interpretativè æquè vult malitiam, ac ſi eſſet in ſe mala. Idem dicendum de

actione in ſe malâ, quę invincibiliter putatur eſſe bona; nempe eam eſſe formaliter bonam, ac meritoriam: ut ſi quis proferat mendacium, quod invincibiliter putat eſſe honeſtum, & licitum ad ſublevandam proximi miſeriam &c.

Notandum tamen eum, qui operatur contra conſcientiam erroneam, licet æquè formaliter peccet, ac alter, qui operatur contra conſcientiam veram; non tamen incurrere eaſdem pœnas humanas: quia Legiſlatores humani non ſolent imponere pœnas, niſi tranſgreſſoribus veræ legis, non putatitiæ. Hinc qui falsò putat alicui actui annexam eſſe excommunicationem, & illum ponit, non propterea incurrit excommunicationem; ſimiliter qui celebrat, falsò putans ſe excommunicatum, non incurrit irregularitatem, licet æquè peccet, ac ſi in excommunicatione celebraret. Item qui percutit laïcum, putans eum eſſe Clericum, non incurrit excommunicationem &c.

Q. 2. *Quale ſit peccatum agere contra conſcientiam erroneam?*

R. eſſe mortale, vel veniale, prout conſcientia errans dictaverit eſſe grave, vel leve. Quòd ſi conſcientia dictet in genere eſſe malum; alii cenſent eſſe mortale, quia talis exponit ſe periculo peccandi mortaliter: alii tantùm eſſe veniale. Cæterùm, practicè loquendo, in illâ generalitate vix ſiſtitur; quia etſi expreſsè non occurrat, an ſit mortale, vel veniale; ipſa tamen materia ſemper repræſentatur ut gravis, aut levis, ſaltem confusè; aut certè advertitur eſſe, vel non eſſe periculum rei gravioris: ſi autem advertatur materiæ gravitas, vel ejus periculum, cenſetur eſſe mortale; aliàs veniale tantùm: niſi fortè quis ſit ita affectus, ut velit illud facere, ſive ſit res gravis, ſive non; hoc enim eſt mortale.

Nota hæc eſſe intelligenda de qualitate peccati,

quod præciſè contrahitur ex eo, quòd actio fiat contra conſcientiam; nam ſi quis ex conſcientiâ vincibiliter erroneâ repræſentet ſibi id, quod facit eſſe veniale, cùm tamen ſit mortale, is reipsâ peccat mortaliter; quia, ratione ignorantiæ culpabilis, malitia, quæ reipsâ eſt in opere, cenſetur eſſe interpretativè voluntaria.

Q. 3. *An operari contra conſcientiam erroneam ſit ſpeciale peccatum diſtinctum ab aliis?*

R. Negativè: ſed eſt peccatum ejus ſpeciei, cujus eſt opus ipſum ex objecto, & circumſtantiis. Ratio eſt, quia, qui ſic operatur, præciſè peccat ratione pravi affectûs, quo interpretativè fertur in malitiam, quam ſibi repræſentat in objecto: ergo ſolùm peccat contra virtutem, cui putat ſuum opus repugnare. Hinc ſi quis erroneè judicet illicitum eſſe alterius crimen, quamvis publicum, alicui manifeſtare, ſi manifeſtet, peccat formaliter peccato infamationis proximi: qui Sacrum omittit die feriali, putans ſe ad illud teneri, peccat contra Religionem &c.

Q. 4. *An ſit peccatum non agere ſecundùm conſcientiam erroneam?*

R. Si ſit conſcientia obligans ex errore invincibili, falsò putans aliquid hîc & nunc eſſe præceptum, aut prohibitum, tenetur ſub peccato illam ſequi, perinde ac ſi reipsâ id eſſet præceptum, aut prohibitum. Patet: quia non facere ſecundùm talem conſcientiam, eſt reipsâ facere contra illam; quod, ex dictis, peccatum eſt.

Idem dicendum, quamvis conſcientia erret vincibiliter, nempè teneri nos illam ſequi in ſenſu compoſito, ſeu ex hypotheſi, quòd ea non deponatur; quia nempe alioqui fieret contra conſcientiam, quæ eſt immediata regula actionum humanarum.

Dices. Inde ſequitur poſſe aliquem obligari ad

peccandum formaliter, v. g. in caſu, quo conſcientia vincibiliter erronea dictet hîc & nunc eſſe mentiendum ad ſuccurrendum proximo &c. Nam ſi quis eo caſu non mentiatur, peccat contra conſcientiam erroneam, dictantem hîc & nunc eſſe mentiendum; ſi verò mentiatur, peccat ex conſcientiâ vincibiliter, ſeu culpabiliter errante.

R. Nego aſſump. nam eo caſu imputabitur quidem illi ad peccatum, ſi errorem illum non deponat, cùm poſſit; adeoque obligabitur ad peccatum, etiam formaliter, in ſenſu compoſito, ſeu ex hypotheſi, quòd conſcientiam erroneam non deponat; non tamen abſolutè, & ſimpliciter, quia abſolutè poteſt, & tenetur errorem deponere; atque ita in ſenſu diviſo, hoc eſt, errore depoſito, poteſt non peccare.

Q. 5. *An ergo conſcientia vincibiliter erronea poſſit ſemper pro libitu deponi?*

R. Non ſemper poſſe ſtatim, & immediatè pro libitu deponi: cùm enim intellectus non obediat voluntati deſpoticè, fieri poteſt, ut hîc & nunc ad ſit motivum ſufficiens prudenter judicandi oppoſitum ejus, quod conſcientia dictat. Quo caſu non poteſt error conſcientiæ immediatè deponi pro ſolo libitu, ſed inquirendæ ſunt rationes, vi quarum formetur dictamen priori oppoſitum, puta, rem pro materiæ gravitate diligenter examinando, peritiores conſulendo, praxim timoratorum attendendo, &c. Vaſq. Granad, Præp.

Dices. Ergo, in caſu antè allato, ſi quis per temporis anguſtias, urgente hîc & nunc præcepti neceſſitate, non poſſit rem magis examinare, & conſcientiam erroneam deponere, neceſſitabitur ad peccandum.

R. Nego ſequelam: quia ſi faciat hîc & nunc quod poteſt ad cognoſcendam rei veritatem, ejus error fiet ex culpabili inculpabilis; & ita effectus

D iv

non ei imputabitur ad peccatum.

Q. 6. *Quid facere debeat Confeſſarius cum iis, qui laborant conſcientiâ erroneâ?*

R. 1. Si confeſſarius advertat pœnitentem laborare conſcientiâ erroneâ mortaliter culpabili, tenetur illum monere, ut conſcientiam illam deponat; quia alioqui, conſcientiâ illâ non depoſitâ, confeſſio eſſet ſacrilega, defectu diſpoſitionis in pœnitente.

2. Si pœnitens laboret ignorantiâ aliquâ, quantumvis invincibili, ratione cujus ſacramentum fieret invalidum, confeſſarius non poteſt illum abſolvere, quouſque ignorantiam illam depellat à pœnitente; quia mortale eſt adminiſtrare Sacramenta cum tali impedimento, ſive illud ſe teneat ex parte confeſſarii, quia caret juriſdictione &c. Sive ex parte pœnitentis, quia caret ſufficienti diſpoſitione ad Sacramentum ſuſcipiendum; exempli gratiâ: quia dolor de peccatis eſt pars eſſentialis Sacramenti, & notitia quorumdam myſteriorum eſt neceſſariò requiſita ad juſtificationem; ſi advertat confeſſarius pœnitentem ex ignorantiâ, etiam invincibili, accedere ad Sacramentum ſine dolore, aut ſine ejuſmodi notitiâ, non poteſt ſine peccato illum abſolvere, ſed debet dimittere, aut ſufficienter inſtruere.

3. Si ignorantia invincibilis pœnitentis non ſit eorum, quæ per ſe requiruntur ad Sacramentum, & ex manifeſtatione veritatis non ſperetur fructus, ſed potiùs timeatur grave aliquod damnum v. g. grave ſcandalum, aut lapſus pœnitentis in grave aliquod formale peccatum, non tenetur confeſſarius monere pœnitentem. v. g. Si advertat confeſſarius matrimonium, quod pœnitens bonâ fide credit eſſe legitimum, fuiſſe invalidè contractum, non tenetur monere pœnitentem de nullitate matrimonii, ſi prudenter ti-

meat, ne, poſt monitionem, permaneat in concubinatu cum eâ, quam modò invincibiliter credit eſſe legitimam uxorem: aliud eſſet, ſi ejus ignorantia eſſet vincibilis; tunc enim teneretur illum monere.

Q. 7. *Ad quid tenetur perſona privata advertens aliquem ponere opus aliquod peccaminoſum ex conſcientiâ erroneâ, ſeu ex ignorantiâ invincibili?*

R. Si monitio non ſperetur fore utilis, non tenetur monere ſic facientem, cùm excuſetur à peccato ratione ignorantiæ. Si verò ſperetur fructus, diſtingunt DD. nam, ſi opus ponendum ſit contra jus naturale, vel Divinum, fatentur omnes, per ſe loquendo, debere moneri ſic errantem: ſi verò ſit contra jus poſitivum humanum, ut comedere carnes die jejunii &c. variant ſententiæ. Tannerus docet faciendam eſſe monitionem, ſi ſperetur fructus. Vide illum. 2. 2. diſt. 2. Q. 5. dub. 4. n. 77. & ſuar. 2.2. diſp. 8. de præcepto correptionis. docet quemlibet teneri in hoc caſu depellere ignorantiam alienam, non ex præcepto correptionis, ſed dandi conſilium, vel doctrinam. At Oviedus dicit ſibi valdè probabile eſſe, hominem, qui advertit Clericum ex oblivione invincibili omittere Horas veſpertinas, aut alium comedere carnes die vetito, abſque aliorum ſcandalo, non teneri illum monere; nec putat leges humanas poſitivas tanti eſſe momenti, ut omnes teneamur aliis in memoriam revocare, quoties ex earum ignorantiâ, aut oblivione naturali imminet materialis illarum tranſgreſſio, ita ille citans Villalobos. Azor &c.

CAPUT III.

De ultimo conſcientiæ Dictamine.

Q. *An debeat eſſe omninò certum, & excludens omnem formidinem de oppoſito?*

Duæ ſunt ſententiæ, 1ª. communior docet dictamen iſtud, ſeu judicium practicè practicum, debere eſſe certum, non certitudine metaphyſicâ, aut phyſicâ, quæ ſæpè in humanis haberi non poteſt, ſed certitudine morali, quæ omnem peccati formidinem excludat. Altera docet ſufficere, quòd judicium iſtud ſit probabile, nec requiri, ut omnem de oppoſito formidinem excludat. Ita Sanches in decal. lib. 1. cap. 9. n. 18. Vaſq. 1. 2. diſp. 62. cap. 5. Salas, Breſſ. &c.

Pro. 1ª. ſententiâ facit illud Eccli 3 *qui amat periculum, in illo peribit.* Nam qui operatur cum rationabili formidine peccati, amplectitur periculum peccandi, etiam formaliter, atque ita peccat. Et verò qui jaculatur, credens probabiliter eſſe feram, ſed ſimul rationabiliter formidans ne ſit homo, juxta omnes imprudenter agit, & exponit ſe periculo homicidii; atque adeò peccat: ergo ſimiliter qui operatur cum rationabili formidine peccati, hîc & nunc committendi, exponit ſe periculo peccandi, & conſequenter peccat formaliter.

Et hæc eſt mens S. Th. quodlibeto 8. art. 13. ubi docet eum, qui plures habet præbendas, etiam poſito quòd id licitum eſſet in reipsâ, peccare tamen, ſi hoc faciat habens conſcientiam, ſeu certam fidem de contrario, hoc eſt, quòd non liceat plures præbendas ſimul habere; aut etiam

ſi tantùm habeat dubitationem de contrario (utique rationabilem, & quam non poſſit meritò contemnere) *quia ſi manente*, inquit, *tali dubitatione, plures prabendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat.*

Pro 2ᵃ. ſententiâ facit 1. quòd qui operatur ex judicio probabili, quòd hæc actio hìc & nunc ſit licita, non obſtante aliquali formidine de oppoſito, prudenter operetur, maximè quando majorem certitudinem hìc & nunc habere non poteſt.

2. Ultimum iſtud dictamen, ſeu judicium practicè practicum, ſæpè nititur principiis tantùm probabilibus etiam practicè, quale eſt hoc : licere in praxi ſequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore : ergo ipſum non poteſt eſſe ita certum, ut omnem formidinem excludat.

R. ad conciliandam utramque ſententiam dicendum videri, conſcientiæ dictamen, ſeu judicium practicè practicum non debere eſſe omninò certum : nec ſufficere quodcumque probabile, ſed requiri tale, quod, omnibus attentè, & ſufficienter conſideratis, prudenter judicetur eſſe verum, & oppoſitum falſum. Aliud enim eſt, ut poſteà dicetur, judicare aliquid eſſe verum, licet tantùm probabiliter, ſeu judicio tantùm probabili ; & aliud judicare eſſe probabile. Item aliud eſt judicare aliquid eſſe verum, & aliud judicare eſſe certum. Quod enim judicatur eſſe certum, non admittit formidinem de oppoſito : at quod judicatur verum, judicio utique tantùm probabili, admittit formidinem de oppoſito, quamvis illud judicetur eſſe abſolutè, non tamen certò falſum.

Prob. Reſponſio : quia ſic facilè explicantur quæ pro 1ᵃ. ſententiâ dicta ſunt contra 2ᵃᵐ : neque enim hoc modo amatur periculum peccandi, nec ultrò, qui ſic operatur, ſe illi exponit, ſed

ex neceſſitate, aut ſaltem cauſâ ſufficiente, illud incurrit. Ad S. Tho. dici poteſt cum Vaſq. per ly *dubitatione manente*, intelligi animi hæſitationem, non verò aſſenſum, qui compatiatur aliqualem formidinem.

CAPUT IV.

De Opinione probabili.

Q. 1. *Quid ſit?*

R. Opinio probabilis eſt, quæ habet pro ſe fundamentum non levis momenti; ita tamen ut pro parte oppoſitâ nihil ſit, quod convincat. Fundamentum autem illud eſt duplex, nempe ratio, & authoritas. Primum, petitum à ratione, dicitur fundamentum intrinſecum; & opinio, quæ ratione nititur, dicitur probabilis intrinſecè. Alterum dicitur fundamentum extrinſecum; & opinio, quæ authoritate nititur, dicitur probabilis extrinſecè. Cæterùm, ut notat Bardus, probabilitas extrinſeca non penitùs excludit intrinſecam, cùm authores, quorum ſententiæ adhæret, ſupponantur bonis rationibus inducti ad ita ſentiendum.

Q. 2. *In quo conſiſtant probabilitas à ratione, & probabilitas ab authoritate?*

R. Probabilitas à ratione eſt, cùm quis nititur rationibus, ſecundùm quas vir prudens, poſt argumenta contraria diligenter examinata, in negotiis alicujus momenti concludere ſolet.

Difficiliùs eſt præcisè definire in quo conſiſtat probabilitas ab authoritate; quippe quæ non tam ex numero, quàm ex qualitate authorum metienda

eſt : ſunt enim authores nonnulli, qui, abſque prævio ſufficienti examine, priorum veſtigiis inhærentes, vel ex neceſſitate, vel ex affectu, ſicut oves (ut loquitur Navarrus) ſequuntur alios. Nec deſunt, qui vel ex paſſione, vel æmulatione, vel ſtudio novitatis, & aliis contradicendi, vel ſimilibus cauſis, non tam ex ſincerâ ratiocinatione, quàm ex ipsâ voluntatis propenſione pronuntiant. Unde Alexander VII. in præfatione decreti anni 1666. quo 45. Propoſitiones damnat in materiâ morum, meritò conqueritur, *ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus, modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelicâ ſimplicitate, Sanctorumq; Patrum doctrinâ; & quem ſi pro regulâ fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vita Chriſtiana corruptela*. Itaque, teſte eodem Bardo, authoritas plurium præcisè ſpectata non fundat probabilitatem, niſi præſumptivè, refertque plures tum Theologos, tum Canoniſtas, qui graviter illos reprehendunt, qui ſolo authorum numero opinionum probabilitatem metiuntur. E contrà poteſt interdum vel unius Doctoris, probi, & in doctrinâ morali bene verſati authoritas, ſi rem accuratè examinarit, ſitque liber ab inordinato affectu, nec ſingularis in opinando, facere opinionem probabilem : modò tamen res, de quâ agitur, ſit obſcura, nec tractata ab aliis; vel certè examinatis hujus Doctoris rationibus, ejus opinio non cenſeatur paſſim improbabilis. Quod ipſum generatim dicendum eſt de quâcumque opinione, quam pauci DD. defendunt contra communem, ſi à reliquis examinata paſſim rejiciatur. Et hoc ſenſu ab Alexandro VII. damnata eſt hæc propoſitio. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non*

conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolicâ tamquam improbabilem.

Advertendum etiam fieri poſſe, ut aliqua opinio, quæ aliquando fuit probabilis, re poſteà meliùs examinatâ, & explicatâ, deſinat eſſe probabilis. Et è contrà multa, præſertim in materiâ contractuum, cenſurarum &c. hodie eſſe probabilia, quę olim cenſebantur improbabilia. Unde in ſimilibus videndum eſt, an non fortè opinio ſit antiquata; aut oppoſita non ſit ita in praxi recepta, etiam à viris doctis, & timoratis, ut paſſim ferè certa habeatur.

Q. 3. *An licitum ſit in operando ſequi quamlibet opinionem probabilem de honeſtate actûs, etiam relictâ probabiliore de ejus malitiâ?*

R. negativè. Et ita tenendum eſt, ex quo Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem: *generatim dum de probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

Hæc ſententia mihi ſemper viſa eſt probabilior, & illam ut talem docui in Academiâ Duacenâ abhinc annis ſedecim, diu antequam prodiret decertum Innoc.XI. contra 65. propoſitiones, quod, damnatis quatuor primis propoſitionibus, huic ſententiæ valde favet, ut examinanti patebit.

Prob. 1. quia in concurſu duarum opinionum probabilium, quarum una eſt de honeſtate actûs, altera de ejus malitiâ, debet quiſque facere quod in ſe eſt ad aſſequendam veritatem, alioqui ei imputabitur, ſi eligat id, quod reipsâ eſt illicitum: ſed qui ex duabus probabilibus ſequitur minùs probabilem, non facit quod in ſe eſt ad aſſequendam veritatem, ut patet, ergo &c.

Prob. 2. quia ad rectè operandum requiritur judicium practicè practicum, quo operans judicet

non tantùm probabile eſſe, quòd ſua actio ſit honeſta, ſed reipſâ eſſe honeſtam, ut dictum eſt præcedenti capite: atqui hoc judicium haberi non poteſt ab eo, qui ſequitur opinionem minùs probabilē de honeſtate actûs; ergo. Prob. mi. quia talis ſimul haberet judicium, quo judicaret minùs probabile eſſe, quòd ſua actio ſit honeſta, & aliud, quo judicaret reipſâ eſſe honeſtam, quod repugnat.

Prob. 3, quia in caſu, quo v. g. ſint rationes utrimque probabiles pro validitate, & invaliditate alicujus matrimonii, ſi liceat ſequi utramlibet ex duabus opinionibus probabilibus, poterit quis modò unam, modò alterā ſequi, atque ita poterit, priori uxore relictâ, cum quâ probabile eſt invalidum eſſe matrimonium, aliam ducere; ac deinde iterùm, juxta opinionem eorum, qui prius matrimonium cenſent eſſe validum, ad priorem redire. Nec ſatisfacit Lugo de Euch. diſp. 15. ſect. 2. n. 46. dicens ejuſmodi variationes eſſe illicitas, nè certa lex eludatur. Dicendum enim potiùs iſtam de ſequendâ opinione probabili, non eſſe admittendam, ex quâ ſequitur certam legem eludi tam facilè poſſe.

Prob. 4. ex decreto Innoc. XI. damnantis hanc propoſitionem: *ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.* Nam quidni excuſaretur talis, ſi licitum eſſet ſequi quamlibet opinionem, etiam minùs probabilem?

D. 1. oppoſita ſententia prævalet authoritate longè plurimorum DD. pietate, doctrinâ, imò & dignitatibus Eccleſiaſticis illuſtrium, quos videre eſt apud Platellium p. 2. c. 2. n. 151.

R. 1. potiorem eſſe authoritatem Innoc. XI. de quâ ſuprà in concluſ. & prob. 4.

R. 2. non deeſſe pro noſtrâ ſententiâ magno numero DD. graviſſimos, quos vide apud Gone-

tum de opinionum probabilitate art. 4. adde; cùm oppoſita ſententia faveat libertati, ſitque benignior, & in praxi commodior, non eſſe mirum, quòd aliquanto plures patronos, & defenſores invenerit.

Dices 2. qui ſequitur opinionem minùs probabilem, non operatur temerè, & imprudenter, cùm non operetur abſque fundamento rationabili: ergo &c. conf. quia poteſt contingere, ut opinio probabilior reipsâ ſit falſa, nam, ut docet Philoſophus, *multa falſa ſunt probabiliora veris.* Ergo non tenemur illam ſequi.

R. Nego antec: nam prudentia dictat in rebus ad ſalutem animæ, & rectam morum inſtitutionem pertinentibus, ſequendum eſſe id, quod virtuti & veritati vicinius apparet. Nec refert quòd opinio, quantumvis probabilior appareat, adhuc tamen incerta ſit, & fortè falſa: nam qui rei veritatem perfectè attingere non poteſt, ſequendo id, quod probabilius, & veritati conformius ei apparet, facit quod in ſe eſt ad illam aſſequendam: & ſi fortè ab illâ aberret, eſt error invincibilis, qui non poteſt ei in culpam imputari. At qui in concurſu probabilioris ſequitur opinionem minùs probabilem, non facit totum, quod in ſe eſt ad aſſequendam veritatem, cùm deſerat opinionem, quæ illi videtur veritati conformior; ac proinde, ſi ab illâ aberret, eſt error procedens ex ignorantiâ vincibili, quæ non excuſat ab imprudentiâ, & peccato. Vide infrà ad Quæſt. 5.

Ex dictis col. 1. eum, qui ſequitur opinionem probabiliorem de honeſtate actûs, poſſe facilè ſibi formare judicium reflexum moraliter certum de rectitudine ſuæ operationis, fundatum in hoc principio certo, & indubitato: *ignorantia invincibilis excuſat à peccato*: Eum verò, qui ſequitur

opinionem minùs probabilem, non poſſe formare ejuſmodi judicium, cùm aſſignari non poſſit, in quo fundetur. De quo iterum poſteà.

Col. 2. nullo modo probandam eſſe praxim eorum, qui conſulti de aliquo caſu, parum ſolliciti de inquirendâ veritate, ſi authorem aliquem reperiant, qui conſulenti faveat, abſque ulteriori examine, immò etſi noverint plures eſſe in oppoſitâ ſententiâ, illicò reſpondent in ejus favorem: quod maximè improbandum eſt, ubi agitur de damno tertii: ut ſi ex probabili aliquorum ſententiâ abſolutè quis pronuntiet illum non obligari ad reſtitutionem, qui ex probabiliori ad illam tenetur. Cæterùm (quod bene notandum eſt) plus requiritur, ut alicui opinioni probabili adhæreat vir doctus & capax rem examinandi, quàm rudis & illitteratus, qui generatim reſolutionem ſibi à viro docto, & timorato datam habere poteſt pro magis probabili, & tutâ, quamdiu aliunde non habet rationabilem cauſam dubitandi.

Q. 4. *An ſaltem ſequi liceat opinionem probabilem propriam de honeſtate actûs relictâ tutiore?*

Nota opinionem probabilem propriam eſſe eam, quam quis habet de aliquâ propoſitione, quam, rationibus, & DD. authoritate utrimque diligenter examinatis, judicat eſſe veram, licet non certò, ſed probabiliter tantùm; oppoſitam verò eſſe falſam, etſi probabilem. Aliud igitur eſt judicare propoſitionem aliquam eſſe probabilem, & judicare eſſe veram probabiliter, ſeu judicio probabili: nam prius judicium tantùm eſt de objecti probabilitate; poſterius de ipsâ objecti exiſtentiâ, ſeu de rei veritate. Patet hoc in omnibus aſſertionibus de objecto probabili, quando aſſerimus illud eſſe verum, licet ejus oppoſitum non diffiteamur eſſe probabile: vide ſuprà cap. 3.

Quæritur hic, an quando quis habet ejuſmodi prudens, & rationabile judicium de honeſtate actûs, poſſit illud ſequi relictâ opinione alienâ tutiore, etiam probabili?

R. Licitum eſt, per ſe loquendo, ſequi opinionem probabilem propriam de honeſtate actûs, relictâ tutiore. Eſt communis contra Cajet. Ratio eſt, quia eſſet onus graviſſimum, & improportionatum imbecillitati humanæ, ſi in omnibus teneremur ſequi viam tutiorem: nam quantumvis plurimi, graviſſimique Doctores, & nos ipſi cum illis judicaremus actionem aliquam eſſe honeſtam, ac licitam, non poſſemus tamen illam ponere, ſi authoritas aliqua, vel ratio levis formidinem induceret de oppoſito. Ex gr. Quia opinio docens nos teneri pœnitere ſtatim poſt commiſſum peccatum, eſt aliquo modo probabilis, teneremur in praxi illam ſequi, non obſtante propriâ, eâque probabiliore opinione de oppoſito. Et ita de innumeris aliis.

Dixi *per ſe loquendo.* quia per accidens aliquando tenemur viam inire tutiorem. Ut 1. ſi adſit præceptum ſuperioris. 2. Si ex conventione addixerimus nos ad ſequendam viam tutiorem; tunc enim ex juſtitiâ tenemur illam ſequi. 3. Si ſequendo propriam opinionem minùs tutam, exponam me, vel proximum gravis mali v. g. mortis periculo, cùm, tutiorem ſequendo, non niſi exiguum incommodum, ſeu damnum incurratur &c.

Dices 1. relinquendo opinionem tutiorem, ſemper eſt periculum ponendi actum ſaltem materialiter malum, ergo &c.

R. Incommodum illud non eſſe tantum, ut ad illud vitandum obligemur, cum onere illo graviſſimo ſequendi in omnibus viam tutiſſimam, etiam cùm perſuaſi ſumus de honeſtate actûs noſtri

Inſt. ſaltem qui ſic operatur, juſtam habet rationem formidandi, ne in ſuâ operatione ſubſit peccatum.

R. Ne ſubſit peccatum materiale, tranſeat. Peccatum formale, N. quia, quamvis judicium directum, & non ultimum de honeſtate materiali actûs, ſit tantùm probabile, ex eo tamen deduci poteſt judicium reflexum, & ultimum practicè tutum, quòd nempè liceat hîc & nunc propriam opinionem probabalem ſequi, quandoquis fecit totum, quod in ſe eſt, ad inquirendam veritatem: & tunc ſi peccetur, peccatur tantùm materialiter, ex ignorantiâ invincibili.

Dices 2. cap. *juvenis* de ſponſalibus cap. *ad audientiam* de homicidio, & alibi dicitur univerſaliter *: tutior pars eſt eligenda.* Et Aug. relatus cap. *ſi quis* de pœnitentiâ ſic ait *: tene certum & dimitte incertum.*

R. Hæc, & ſimilia jura non plus velle, quàm quod pars tutior ſit eligenda in caſu dubii propriè dicti, aut dubii de peccato formali. Aug. autem loco citato ſolùm vult pœnitentiam non eſſe differendam uſque ad finem vitæ, cum incertitudine, & periculo ſalutis, ut patet ex textu.

Dices 3. Saltem in Sacramentis conferendis non licèt ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore: ergo nec licèt, quando agitur de honeſtate actûs in aliis materiis.

Prob. Ant. authoritate Innoc. X. hanc propoſitionem damnantis *; non eſt illicitum in Sacramentis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.*

R. 1. N. conſeq. Etſi enim id non liceret quando agitur de valore Sacramenti, ad quem nihil confert ut alibi docemus, probabile hominum judicium, ſi non ponantur ea quæ ex inſtitutione

Chriſti ad illud ſunt neceſſaria, non ſequeretur id illicitum fore in omni materiâ; quando v. g. agitur de lege, quæ judicatur prudenter & probabilius non exiſtere, cum enim lex non obliget ſaltem in actu 2. niſi fuerit ſufficienter promulgata & cognita, ideoque talis obligatio non ſit omninò independens à cognitione & judicio, nulla poteſt eſſe allata paritas.

R. 2. Non probari contra nos efficaciter antecedentem propoſitionē ab Innoc. XI. damnatā: cùm enim ex dicta propoſitione univerſaliter ſumptâ & ſicut jacet, ſequatur non fore illicitum in Sacramentis conferendis ſequi quamlibet opinionem probabilem, etiam æquè & minus probabilem, relictâ tutiore æque vel magis probabili, quod non ſolùm in Sacramenris, ſed in omni materiâ negamus eſſe licitum, vel ex hoc capite fatemur prædictam propoſitionem, ſicut jacet, merito damnatam eſſe tamquam ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam.

Q. 5. *An teneamur ſequi opinionem probabilem propriam de malitiâ actûs, contra oppoſitam probabilem de illius honeſtate?*

R. Eum qui judicat, licèt tantùm probabiliter, actum eſſe malum, non poſſe ſequi opinionem aliorum probabilem de honeſtate actûs. Ita docent multi DD. quos citat & ſequitur noſter Schildere tract. 2. cap 2.

Prob. 1. Quia qui judicat, licèt tantum probabiliter; actum eſſe materialiter malum, non poteſt formare judicium practicè practicum, quod poſſit illum ponere abſque peccato formali. Nam, ut omnes admittunt, qui opinatur actum eſſe materialiter malum, & nihil ſcit de opinione contrariâ, non poteſt tale judicium practicum formare: ergo nec ille, qui novit judicium aliorum contrarium, cùm illud ipſe judicet eſſe falſum.

Prob. 2. quia in oppoſitâ ſententiâ difficulter oſtenditur ſectarium, quamvis opinetur eſſe peccatum non credere certa puncta fidei, non poſſe, ob authoritatem miniſtrorum aliter docentium, formare ſibi conſcientiam tutam, quòd non peccet formaliter, non credendo illa puncta; quod eſt contra conſtitutionem Innoc. XI. damnantis hanc propoſitionem : *ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.*

Prob. 3. quia qui id agit, quod poſt debitum examen judicat eſſe illicitum, inordinatè agit: eſt enim inordinatum id facere, quod credis de ſe eſſe malum, & repugnans legi : ſicut enim qui dubitat, an actio aliqua ſit licita, peccat, ſi cum tali dubio operetur, ita à fortiori dicendus eſt peccare, qui non ſolùm dubitat, an ſua actio ſit licita, ſed probabiliùs cenſet eſſe illicitam.

Reſpondent 1. talem, licèt ſpeculativè, ſeu judicio directo credat actionem ſuam eſſe illicitam, tamen per judicium reflexum judicare ſe hîc & nunc non peccare, ex hoc principio, quod prudenter agat is, qui ſequitur probabilem aliorum opinionem, relictâ propriâ : prudentiæ enim eſt, & modeſtiæ, poſthabito proprio, ſeſe aliorum peritorum judicio ſubmittere.

Sed contrà : principium iſtud non ſubſiſtit, cùm ſupponatur talis ſemper retinere ſuum judicium ſpeculativum de malitiâ ſui actûs, quo ſtante, non apparet quomodo poſſit ex illo principio formare ſibi conſcientiam tutam, ſeu ſecurus eſſe, quòd non peccet : neque enim ſic facit, quod in ſe eſt ad aſſequendam veritatem, ut oſtenſum eſt. Ad id, quod additur, prudentiæ, & modeſtiæ eſſe ſic agere ; dico eum imprudenter agere, qui alterius opinioni probabili de honeſtate actûs ſe conformat, quando oppoſita de actûs malitiâ ei apparet probabilior, & verior. Magna

ſiquidem imprudentia eſt in ſalutis negotio, quod ſummi momenti eſt, eligere id, quod minùs probabile, immò & falſum probabiliter apparet. Neque eſt modeſtiæ, ſed imprudentiæ, & temeritatis ſeſe ſubmittere alterius judicio in eo, quod, poſt diligens, & debitum examen, propinquius falſitati, quàm veritati; peccato, quàm virtuti, verè probabiliter judicatur. Dico *verè probabiliter*, nam niſi adſint ea, quæ diximus requiri ad veram probabilitatem, certum eſt poſſe, & ſæpe debere judicium proprium, utique improbabile & temerarium, ſubmitti aliorum judicio; ut fit in rudibus, ſcrupuloſis, & iis, qui inconſideratè, aut ex paſſione, æmulatione, ſtudio novitatis, alióve ſimili inordinato affectu, opinioni alicui, abſque ſufficienti fundamento, pertinaciter adhærent.

Reſpondent 2. principium iſtud eſſe ſufficienter certum, ſaltem ab extrinſeco, nempe ex teſtimonio, & authoritate plurimorum, & graviſſimorum Doctorum, qui illud certum eſſe aſſerunt, & omnimodam ſecuritatem ſpondent quamcumque opinionem verè probabilem ſequentibus, etiam in caſu noſtro: unde emanavit vulgatum illud, *qui probabiliter incedit, tutò incedit*.

Sed contrà: quidquid aſſerant, & ſpondeant DD. illi, 1°. certum eſt id jam dici non poſſe de quâlibet probabilitate, quantumvis tenui, id damnante Innoc. XI. ut antè dictum eſt. 2. certius eſt eam opinionem, quæ tenet licere ſequi opinionem minùs probabilem, relictâ propriâ & probabiliore, eſſe valde incertam, nec ſufficientem, ut in caſu noſtro fundare poſſit omnimodam ſecuritatem in conſcientiâ, & excludere formidinem peccati formalis. Cæterùm, ſi quis ſeu rationibus, ſeu teſtimoniis pro eâ ſententiâ, ſinat ſibi perſuaderi non eſſe peccatum, ſequendo

illam in praxi, non peccabit quidem formaliter, quia operabitur bonâ fide, & ex conſcientiâ erroneâ; ſed hoc erit per accidens. Sicut ſi quis rudis ſinat ſibi perſuaderi mendacium in quibuſdam circumſtantiis non eſſe peccatum, mentiendo non peccat formaliter.

Dices 1°. per hoc quòd judicem aliquid eſſe probabiliter illicitum, quod alii tenent eſſe licitum, non debeo cum meo incommodo privari jure, quod alii habent id faciendi licitè. v.g. qui opinatur cenſus perſonales eſſe illicitos, non debet privari jure contractum illum exercendi, quod habent ii, qui ſunt in oppoſitâ ſententiâ.

R. Nego aſſumpt. nemo enim jus habet ad id, quod, poſt debitum examen, judicat eſſe illicitum. Sicut enim is, qui novit actionem aliquam eſſe illicitam, non habet jus ad illam; quod tamen haberet, ſi laboraret ignorantiâ invincibili; ita in propoſito. Cæterùm iſtud incommodum compenſatur per hoc, quòd ſimiliter non teneatur quis ſtare contractui, quem judicat ſe licitè adimplere non poſſe.

Dices 2. eſſet onus intolerabile, & innumeris anxietatibus, ac ſcrupulis obnoxium, ſi hoc ipſo, quòd aliquid nobis videtur illicitum, illud omittere deberemus, non obſtante multorum aliorum, etiam peritorum & timoratorum ſententiâ & praxi, qui id licere probabiliter judicant.

R. ſi verè probabiliter, & non ex levi fundamento, aut alio aliquo defectu id judicetur eſſe illicitum, non debet dici onus grave, niſi non amanti, ut loquitur Aug. qui in hæc Apoſt. verba: *mandata ejus gravia non ſunt*, dicit: *non ſunt gravia amanti, ſed non amanti gravia ſunt.*

Quod ad ſcrupulos attinet, tantùm abeſt, quòd quis ſequendo probabiliorem, & quam judicat veram ſententiam, ſcrupulis & anxietatibus

exponatur, ut potiùs ab iis omninò eximatur, juxta Clementinam *exivi* de verborum ſignific. ubi Pontifex ait: *in his, quæ ſalutem animi reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda.* Et verò certum eſt, quòd in negotio ſalutis, qui partem amplectitur, quam minùs probabilem, immò & falſam judicat, pluribus angatur ac torqueatur conſcientiæ ſtimulis, quàm qui ſequitur id, quod judicat probabilius & verius.

Dices 3. Praxis eſt etiam virorum prudentium & timoratorum, in caſibus conſcientiæ, qui paſſim occurrunt, v. g. in determinando tempore pro legendis horis canonicis, in determinandâ quantitate, vel qualitate cibi, quæ ſufficit, aut requiritur ad jejunium &c. ut ſine magno examine forment ſibî conſcientiam tutam ex opinione probabili quorumdam DD. non multum inquirentes de ſententiâ probabiliore. Ergo &c. Conf. quia uſus regulę de ſequendâ opinione probabili, etiam in concurſu probabilioris, & tutioris, multis ab hinc annis inductus eſt in Eccleſiam, & fideles ſunt in legitimâ poſſeſſione illius. Ergo, cùm in dubiis melior ſit conditio poſſidentis, non debent ab eâ deturbari.

R. praxim illorum eſſe, ut, prævio ſufficienti examine, (quod majus, aut minus eſſe oportet, pro ſubjectâ materiâ, & perſonæ deliberantis qualitate) id ſequantur, quod honeſtum, ac licitum ipſi judicant. Aliud ergo eſt poſſe ſequi opinionem alienam probabilem in re, quam nos ipſi, poſt debitum examen, honeſtam judicamus; & aliud in re, quam ipſi, ſpectatis omnibus, opinamur eſſe malam.

Ad confirm: dico uſum ſequendi opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, & tutioris, nunquam fuiſſe pacificum, ſed habuiſſe

ſemper, qui contrarium ſentirent ac docerent: unde cùm poſſeſſio ſolùm faciat juſtum titulum, quando eſt pacifica, poſſeſſio iſtius uſûs non eſt ſufficiens ad reddendum illum licitum.

Dices 4. fieri poteſt, ut ſequendo opinionem propriam contra alienam, etiam probabilem, gravia ſequantur incommoda, ut v. g. periclitetur ſalus proximi, aut aliud grave damnum immineat, ſive ipſi operanti, ſive alteri: ergo, ſaltem tunc licebit, immò & oportebit ſequi alienam.

R. 1. id etiam ab adverſariis eſſe ſolvendum in caſu, quo, imminente tali periculo, aut incommodo, aliquis habeat actualem formidinem peccati formalis, cum quâ fatentur non licere operari.

R. 2. in ſimilibus caſibus pro rei gravitate, ſecluſo omni affectu, paſſione, præjudicio &c. multo diligentius eſſe ponderanda momenta rationum, & authoritatum pro oppoſitâ ſententiâ, ut, ſi fieri poſſit, noſtram opinionem deponamus, & alteri noſtrum judicium conformemus. Quòd, ſi poſt omnem diligentiam, adhibitis etiam aliorum conſiliis, noſtrum de malitiâ actûs judicium deponere non valeamus; videtur dicendum ſicut de eo, qui formidinem peccati formalis deponere non valet. Niſi malis dicere cum Cordubâ putante certis quibuſdam ejuſmodi caſibus, v. g. quando ageretur de ſalute proximi; quando adeſſet præceptum ſuperioris imperantis, &c. nos licitè poſſe, immò & debere ſaluti proximi conſulere, ſuperiori obedire &c. vide illum lib. 3. q. 9. neque hoc eſt contra noſtram reſolutionem, cùm tunc id fiat per accidens: ſicut in ſimilibus caſibus per accidens quandoque licitum eſt operari, immò & Sacramenta adminiſtrare cum materiâ dubiâ; quamvis, per ſe loquendo, id non liceat. Et ideò in reſolutione expreſsè additum eſt ly *per ſe loquendo*

Dices 5. juxta reſolutionem datam tenemur ſequi opinionem probabiliorem : atqui opinio docens ſufficere minùs probabilem de honeſtate actûs eſt probabilior, quia nititur pluribus rationibus, & authoritate plurium, qui pro illâ citantur : ergo tenemur, aut ſaltem poſſumus illam ſequi : ita Caramüel dicens eſſe demonſtrationem.

R. 1. D. ma. ſi id, de quo agitur, non appareat nobis aliunde illicitum C. ſi judicemus eſſe illicitum, ut fit in propoſito N.

R. 2. D. mi. eſt probabilior abſolutè, & univerſaliter, N. reſpectivè ad aliquos C. ſed nego conſequentiam. Quia, ut ſummum, ſequitur eos, quibus opinio iſta verè apparet probabilior, poſſe illam ſequi ex conſcientiâ erroneâ : cum quo ſtat nos, & alios, qui nobiſcum ſentiunt, teneri in caſu propoſito opinionem propriam nobis probabiliorem, & tutiorem ſequi.

Quod autem attinet ad probabilitatem extrinſecam, & multitudinem authorum, qui citantur in contrarium; præter illa, quæ antè diximus, notandum hîc ſpeciatim nonnullos ex adverſariis non ponere diſcrimen inter probabilitatem alicujus propoſitionis, & illius veritatem exiſtimatam; nec ſatis advertere eſſe aliud, judicare propoſitionem aliquam eſſe probabilem, ſeu habere probabilitatem veri, & aliud judicare eſſe veram probabiliter, ſeu veram cum probabilitate. Hinc varios pro ſe citant, qui ſic tenent opinionem aliquam eſſe probabilem, ut non proptereà judicent eſſe veram; & oppoſitam falſam, licet non certò, ſed tantùm probabiliter veram; cùm tamen reſolutio noſtra ſupponat judicium de exiſtentiâ, & veritate, ſeu de malitiâ actûs, quamvis tantùm probabile. Vide Valentiam 2. 2. diſp. 5 q. 7. puncto 4. ſub finem, qui licet à Sanchez, & aliis citetur pro oppoſitâ ſententiâ, certò ta-

men eſt pro noſtrâ : ſic enim expreſsè loquitur. *Altero modo poteſt quis putare alteram opinionem eſſe probabiliorem, & alteram minùs probabilem, ita ut ſimul, quod plerumque accidit, determinatè ſentiat probabiliorem, eſſe re quoque veram, & minùs probabilem, falſam. Et tunc quamdiu quis in tali exiſtimatione, judicioque perdurat, non poteſt aut in agendo, aut in conſulendo ſequi opinionem minùs apud ſe probabilem, & falſam; ſed debet ſequi quam veram, & probabiliorem putat.*

Q. 6. *Quid faciendum in concurſu duarum opinionum æquè probabilium?*

R. ſi concurrant duæ opiniones æquè probabiles, quarum una eſt pro honeſtate actûs, altera contra illam; qui non poteſt ex ratione intrinſecâ formare opinionem propriam ſibi probabiliorem, tenetur ſequi tutiorem. Ita DD. qui nobiſcum ſentiunt ſuprà Q. 5. contra utrumque Sanchez. Bardum, & alios plures.

Prob. 1o. ex S. Th. quodl. 8. art. 13. *ſi ille*, inquit, *qui habet plures prabendas, in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, & manente dubitatione plures prabendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat.* Nota hunc caſum à S. Doctore propoſitum continere dubium juris, non facti: item dubium poſitivum fundatum in diverſitate opinionum, non negativum.

Prob. 2. quia in quæſtione facti non poteſt aliquis ſequi authoritatem aliquorum contra authoritatem aliorum æqualem: ergo neque in quæſtione juris, qualis eſt hæc de honeſtate, aut malitiâ actûs. prob. ant. quia, ut fatetur Joannes Sanchez, & alii ex adverſariis, ſi tres negent ſubeſſe impedimentum matrimonii, tres affirment, inire illud non licet. Item ſi tres aſſerant aliquem eſſe infamatum per ſententiam, tres negent æquè probabiliter, non licet crimen alibi revelare, & ita de aliis.

Ratio à priori eſt ; quia quantum momenti adfertur per authoritatem pro unâ parte, tantum tollitur per alteram. Patet in caſu, quo unus teſtatur aliquid eſſe factum ab aliquo, & alter teſtatur non eſſe factum ab illo, ſed à quopiam alio : tunc enim intellectus redit ad ſtatum, in quo erat, antequam de teſtimoniis quidquam intellexiſſet, nempe ad ſtatum ignorantiæ, ſeu dubii. Oportet ergo tunc, ſicut in dubiis propriè dictis, vel tutiorem partem eligere, vel adhibito majori examine, minùs tutam, ſi fieri poteſt, ſibi reddere probabiliorem & propriam.

CAPUT V.

De Miniſtro Sacramentorum, Medico, Judice, Profeſſore &c. circa materias probabiles.

Q. 1. *an & quomodo Miniſter Sacramenti poſſit in eo conferendo ſequi opinionem probabilem de ejus valore, relictâ tutiore ?*

Suppoſito Decreto Innocentii XI. damnantis hanc propoſitionem : *non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententiâ probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis, aut Epiſcopalis,*

R. 1. certum eſt non licere, per ſe loquendò, ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, quando id vetat lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.

Non primum: quia legi, ſeu præcepto ſuperioris

obediendum eſt, niſi ob cauſam neceſſitatis aut etiam periculum mali graviſſimi, lex illa, aut præceptum non cenſetur obligare. Hinc, per ſe loquendo, non poteſt Epiſcopus Sacramentum Confirmationis conferre in oleo ſimplici ſine balſamo; nec Sacerdos conſecrare panem ſiligineum &c. relictâ materiâ certâ; quamvis opinarentur materias illas eſſe ſufficientes; quia nempè id lege prohibitum eſt.

Non ſecundum: quia, ſi cum ſuſcipiente, Sacramentum facta ſit conventio de ſequendâ opinione tutiore, certum eſt miniſtrum, per ſe loquendo, debere illam ſequi, relictâ propriâ, quantumvis probabili.

Non tertium: quia manifeſtè peccaret contra charitatem, qui juxta ſuam opinionem tantùm probabilem de valore Sacramenti, illud conferret cum periculo non tantum nullitatis illius, ſed etiam gravis alterius mali à ſuſcipiente, vel aliis incurrendi; ſi nempe certiori modo Sacramentum conferri poſſit. Locum hoc habet 1. in collatione Baptiſmi, quo invalidè ſuſcepto, invalida eſſet ſuſceptio reliquorum Sacramentorum, quorum tamen ſumma eſt neceſſitas, præſertim aliquorum in articulo mortis 2. In collatione Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis, à cujus valore dependet valor plurium aliorum Sacramentorum aliis conferendorum. 3. In abſolutione moribundi: ſi enim illa ſit invalida, & peccator non ſit perfectè contritus, incurritur damnum vitæ æternæ irreparabile, quantumvis bonâ fide proceſſerint & confeſſarius, & pœnitens. Nota temen, quod antè inſinuatum eſt, hęc eſſe intelligenda pro caſibus, in quibus Sacramentum alio certiori modo conferri poteſt. Nam in neceſſitate, ſi aliter fieri non poſſit: ut, ſi certa materia adhiberi non poſſit, adhibenda eſt probabilis; ſi etiam hæc deſit, ad-

hibendâ dubia, non obſtantibus lege, conventione &c. & ideò additum eſt in concluſione ly *per ſe loquendo.*

R. 2. Nunquam licèt extra caſum neceſſitatis, in conferendis Sacramentis ſequi ſententiam minùs probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore, & probabiliore, ac propriâ de illius invaliditate. Quia hoc, ut minimum, evincit ac prohibet decretum citatum Innoc. & ſequitur ex dictis.

Ratio fundamentalis eſt, quod probabile hominum judicium nihil conferat ad valorem Sacramenti, ſi non ponantur ea, quæ ex inſtitutione Chriſti ad illud ſunt neceſſaria: ac proinde quidquid probabiliter aſſerant DD. de ejus valore, Sacramentum manebit invalidum, ſi falſa ſit eorum opinio.

Q. 2. *An Confeſſarius in conferendo Sacramento pœnitentiæ poſſit, aut debeat ſequi opinionem probabilem pœnitentis, relictâ propriâ.*

R. 1. Si confeſſarius judicet collationem Sacramenti forè invalidam, non poteſt, & à fortiori non tenetur ſequi opinionem pœnitentis judicantis eſſe validam. Sequitur ex dictis; quia non poteſt quis contra propriam & ſibi probabiliorem opinionem de invaliditate Sacramenti, ſequi alienam ſibi minùs probabilem; aliàs enim incideret in propoſitionem damnatam ab Innoc. XI. quod autem non teneatur, etiam admittunt plures ex iis, qui dicunt miniſtrum Sacramenti poſſe ſequi opinionem probabilem ſuſcipientis cōtra propriam, ut Lugo Pontius, Io. Sanchez, Palao apud Schilder. tract. 2. n. 119. dicentes univerſaliter quòd confeſſarius non teneatur ſequi opinionem pœnitentis, quando agitur de aliquo, quod à confeſſario faciendum eſt: ut ſi Confeſſarius rationabiliter exiſtimet ſe non poſ-

ſe pœnitentem abſolvere ab aliquo caſu, quem judicat eſſe reſervatum, & pœnitens judicat oppoſitum.

R. 2. quando Confeſſarius habet opinionem probabilem de aliâ re, quam de valore Sacramenti, & pœnitens habet opinionem probabilem oppoſitam, Confeſſarius poteſt illum abſolvere. exemplum eſt in caſu, quo Confeſſarius opinatur pœnitentem obligari ad reſtitutionem, ad quam pœnitens probabiliter judicat ſe non obligari. Prob. quia cùm pœnitens adhibeat omnia ad valorem Sacramenti requiſita, & aliunde non peccet procedens juxta ſuam opinionem probabilem; non eſt cur Sacramentum illi conferri non poſſit. Ita DD. communiter.

R. 3. ſi in iſto caſu Confeſſarius jam pœnitentis confeſſionem audierit, tenetur illum abſolvere. Prob. quia ſi ſit Confeſſarius ordinarius v.g. Parochus, tenetur ex officio ſubditis ritè diſpoſitis, & confeſſis abſolutionem impertiri: ſi autem ſit delegatus, tenetur ex pacto: eo ipſo enim quo pœnitentem ad confeſſionem admiſit, tacitè ipſi abſolutionem promiſit, ſi deprehendatur ritè diſpoſitus.

Q. 3. *Quam opinionem ſequi poſſit, aut debeat Medicus in præſcribendis medicamentis?*

R. 1°. ægro exiſtenti in periculo mortis, aut alterius gravis mali incurrendi, ſi abſque gravi ejus incommodo poſſit, debet præſcribere medicinam certam, relictâ minùs certâ: ſi autem certa haberi non poſſit, tenetur adhibere probabiliùs profuturam; aut ſi illa non adſit, dubiam non obfuturam. Prob. quia ſi Medicus ab illo ægro conductus ſit, tacitè hoc ipſi addixit, adeóque peccat contra juſtitiam, ſi id non præſtet. Si autem Medicus non ſit conductus; ſicut ex charitate eum curandum ſuſcepit, ita ex charitate

tenetur ad ei medendum tutiori modo, quo poteſt. Dixi *ſi abſque gravi ejus incommodo poſſit*: quia obligatio illa ceſſat, quando medicinam certiorem adhibere non poteſt ſine gravi ęgri incommodo. Unde ſi medicina ſit nimis pretioſa reſpectivè ad ægrum, vel ei graves illatura ſit moleſtias, quas ſubire non ſit paratus; præſcribi poteſt alia probabiliter, quamvis non tam certò, profutura.

2. Quando æger non eſt in periculo mortis, aut gravis mali, poteſt Medicus procedere juxta opinionem, quam judicat probabiliorem, relictâ tutiore, ſi hæc abſque aliquo incommodo adhiberi non poſſit. Excipe, niſi æger abſolutè velit ſibi adhiberi tutiorem.

3. Quando ægri vita deſperata eſt, adhiberi poſſunt medicinæ etiam incertæ, & periculoſæ, ſpectatâ prudenter probabilitate boni eventûs, magnitudine periculi accelerandæ mortis &c. Quod intellige, ſaltem quando ſpectatis omnibus, eſt poſitivè probabile medicinam profuturam eſſe: nam ſi id propriè, ac negativè dubium ſit, ita ut formari non poſſit prudens judicium, quòd ſit profutura, cùm interim ſimile dubiùm ſit an non ſit nocitura, variant DD. Sanchez. Layman, Portel, Bonac. &c. affirmant poſſe adhiberi. Negant Azor, Palao, Vaſquez, Salas &c.

Q. 4. *quam opinionem ſequi debeat Iudex in ferendâ ſententiâ?*

R. 1°. in quæſtione facti, ferre debet ſententiam juxta propriam opinionem, non juxta alienam ſui collegæ, aut alterius. Ut ſi agatur de aliquâ hæreditate, ferre debet ſententiam pro eo, quem probabiliùs judicat eſſe magis propinquum. Neque in tali controverſiâ (inquit Præpoſ.) videtur eſſe probabile, quòd poſſit hæreditas adjudicari illi, cujus minùs probabilia ſunt argumenta.

menta. Et in hoc conveniunt DD.

2. Idem dicendum in quæſtione juris, non poſſe ſcilicet Iudicem in judicando (ſaltem per ſe loquendo) ſequi ſententiam alienam contra eam, quam, omnibus ſpectatis, judicat probabiliorem. Ita Silveſt. Sotus, Vaſq. Sanchez, & alii communiſſimè contra nonnullos apud Dian. p. 2. tr. 13. reſ. 3. quorum ſententia non poteſt modò cenſeri probabilis poſt damnatam ab Innoc. XI. hanc propoſitionem : *probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem.* Et verò ad hoc conſtitutus eſt Iudex, ut jus dicat ſecundùm merita cauſæ, non ut ſit acceptor perſonarum, aut pro ſuo arbitrio de aliorum fortunis diſponat. *Bonus Iudex*, inquit Amb. in Pſ. 118. *nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed juxta leges, & jura pronuntiat.*

Dixi *ſaltem per ſe loquendo* : quia Vaſq. Sanchez, & alii putant judicem inferiorem in caſu, quo periculum eſſet, ne ejus ſententia à judice ſuperiore reformaretur cum ſui damno, poſſe contra propriam ferre judicium juxta ſententiam communiorem, & magis receptam. Quod negant Arriaga, & alii communiùs, & probabiliùs; eo quòd Iudex etiam inferior debeat fungi munere, ad quod à Repub. aſſumptus eſt.

Quòd ſi, ſpectatis omnibus, æqualis ſit utrimque probabilitas, æquitas poſtulat, ut Iudex neutri parti rem adjudicet, ſed dividat, ſi ſit diviſibilis; vel aliter partes inter ſe componat. Nota hanc prop. ab Alex. VII. damnatam : *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio.*

Q. 5. *Quid dicendum de Advocato ?*

R. 1. poteſt juxta opinionem ſuam probabilem poſtulare, ſeu cauſas agere. 2. Si judicet cau-

ſam clientis ſui manifeſtè non ſubſiſtere, non poteſt pro illâ patrocinari: & ſi illam bonâ fide agere cœperit, & in decurſu litis ejus injuſtitiam agnoſcat, debet deſiſtere, nec poteſt adverſarium inducere ad tranſactionem, niſi juſtitiâ cauſæ ſuæ ipſi manifeſtatâ, & ideò tantùm ſuadendo tranſactionem, ut evitet expenſas, & moleſtias litis. 3. Si judicet cauſam ſui clientis eſſe bonam, ſed nihilominus veroſimiliter clienti ſuo abjudicandam, aut magnum eſſe illius periculum, tenetur periculum illud clienti indicare, ne illum exponat periculo expenſarum inutilium. 4. Si judicet cauſam ſui clientis probabiliter non ſubſiſtere, oppoſitum tamen eſſe probabile, licet minori. quantùm illi apparet, probabilitate; poteſt ea, quæ pro ſuo cliente occurrunt, in ejus patrocinium Iudici proponere. Ita Vaſq. Sanchez, Io. Lugo. Boſſ. Dian. & alii contra Silveſt. Farinacium, Arriagam 1. 2. diſp. 24. n. 34. de quo tamen etiam monendus eſt cliens. Prob. quia quando non ſcit certò cauſam non ſubſiſtere, poteſt credere judicem, qui eſt vir intelligens, fortè meliùs judicaturum, quàm ipſe judicet. vide Dian. p. 9. tr. 8. reſ. 62.

Q. 6. *quam opinionem ſequi debeat Profeſſor in docendo?*

R. 1. in iis, quæ docendo abſolutè aſſerit, ſequi debet opinionem, quam ipſe veram, aut probabiliorem judicat; quia aliàs diſcipulos deciperet. Immò ſi agatur de jure unius in alium, vel obligatione juſtitiæ, peccaret peccato injuſtitiæ erga illum, qui ex tali ejus doctrinâ damnum injuſtè pateretur. Sæpè tamen licet, imò expedit, diſſimulatâ propriâ ſententiâ, aut etiam eâ prolatâ, indicare quæ ſententiæ ſint probabiles. 2. Tenetur Profeſſor ex officio adhibere moralem diligentiam ad aſſequendam veritatem ejus doctrinæ,

quam abſolutè tradit; ne aliàs ſe, & diſcipulos exponat periculo deceptionis; & eos, quorum intereſt, alicujus damni. 3. qui bonâ fide ſententiam aliquam docuit, quam poſtmodùm deprehendit eſſe certò falſam; ſi adhuc illi ſit integrum, revocare illam debet, etiam cum incommodo proportionato ad damnum injuſtum, cujus periculum alteri imminet; non ſecus ac qui bonâ fide dediſſet alteri medicinam venenatam. Aliud eſt ſi ſententia, quam docuit, poſteà deprehendatur minùs probabilis, & non certò falſa.

Q. 7. *Quomodo gerere ſe debeat Profeſſor, aut Confeſſarius, aut quilibet alius vir doctus de aliquo caſu interrogatus?*

R. 1. ſuam ſententiam interrogatus non poteſt licitè reſpondere juxta alienam, quamvis à Viris doctis ſit tradita. Eſt communis, & patet, quia conſulentem deciperet. Subinde tamen poteſt ſubterfugere reſponſum, quando conſulens putatur ejus opinione abuſurus, & occaſionem ſcandali accepturus.

2. Si ſimpliciter rogetur an aliqua actio ſit licita, non poteſt dicere eſſe licitam, niſi ipſe ſic opinetur. Tenetur tamen optanti, ut ſit licita, indicare eſſe alios Viros doctos, qui probabiliter tenent eſſe licitam. Prima pars eſt conformis principiis antè traditis, quòd nemo poſſit ſequi opinionem probabilem alienam de honeſtate actûs, contra ſuam de ejus malitiâ: ergo nec poteſt alteri dicere, ut illam ſequatur. Ita docet Schilder n. 104. cum quibuſdam aliis, quos citat contra Sanchez, Dian. & plures alios, dicentes poſſe ipſum reſpondere juxta probabilem aliorum contra ſuam, quando agitur de aliquo liberando ab obligatione. 2ª. pars prob. quia tunc conſulens non tam quærit propriam opinionem ejus, quem conſulit, quàm opinionem, per quam v. g. liberetur

ab obligatione reſtituendi. Debet ergo tunc Conſiliarius conſulenti ſignificare eſſe alios, qui ipſi favent, quorum rationibus & authoritate ſi poſſit formare pro ſe conſcientiam, quòd poſſit illos ſequi, non peccabit formaliter ſe conformando eorum opinioni.

CAPUT VI.

De Conſcientiâ dubiâ.

Q. 1. *Quid dubium, & quotuplex* ?

R. dubium hîc, eſt ſuſpenſio animi non valentis ſe in alterutram partem reſolvere ob inſufficientiam motivi. Quando autem intellectus actu reflexo judicat ſe dubitare, dicitur *dubium ſignatum* : quando verò præcisè manet ſuſpenſus, dicitur *dubium exercitum.*

Dividitur dubium primò in negativum, & poſitivum. Negativum eſt, quando aliquis idcircò hæret, quia non occurrunt rationes pro alterutrâ parte, v. g. pro paritate, vel imparitate arenarum maris. Dubium poſitivum eſt, quando ſunt rationes in utramque partem, propter quas hîc & nunc ſuſpenditur judicium.

Dividitur 2. in ſpeculativum, & practicum. Speculativum eſt, quando dubitatur de malitiâ materiali actûs, vel de fundamento illius. Practicum eſt; quando dubitatur an actus aliquis poſſit hîc & nunc poni ſine peccato; ſive an ſit formaliter illicitus. Prius, quia non eſt purè ſpeculativum, ſed etiam ad praxim ordinatur, dicitur ſpeculativè practicum : poſterius practicè practi-

cum, ut dictum eſt de opinione.

Dividitur 3. in dubium juris, & dubium facti. Dubium juris eſt dubium de lege, ſive dubium an aliquid licitum ſit, an illicitum. Dubium facti eſt, an aliquid factum ſit, vel non ſit. v. g. quando dubitatur de vitâ, aut morte alicujus; de contractu inito, vel non inito; de teſtamento facto, vel non facto &c. Ita cum proportione explicanda eſt ignorantia juris, & ignorantia facti.

Q. 2. *Quomodo formanda ſit conſcientia in dubio de malitiâ materiali actûs?*

Certum eſt non poſſe formari conſcientiam in dubio de malitiâ formali actûs, cùm ex antè dictis judicium practicè practicum debeat eſſe certum, vel ſaltem tale, ut judicetur eſſe verum, & oppoſitum falſum; adeoque non maneat ſuſpenſio animi non valentis ſe in alterutram partem reſolvere; quod propriè eſt dubium.

R. 1 Dubius negativè de malitiâ materiali actûs, ſive is, qui nullam habet rationem, ob quam credat actum eſſe materialiter malum; poteſt formare conſcientiam, quòd ponendo illum, non ſit formaliter peccaturus. Prob. quia planè ignorans materialem actûs malitiam, non poteſt obligari ad illum omittendum, ne alioqui homines paſſim implicentur innumeris anxietatibus: hinc ſi cui hoc dubium, ſeu ſcrupulus occurrat, num fortè hodie obligetur ad jejunium, ad audiendum Sacrum &c. nullam habens dubitandi rationem, nec pro, nec contra; poteſt formare conſcientiam, quòd non ſit formaliter peccaturus non jejunando, non audiendo Sacrum &c. ſimiliter ſi alicui invincibiliter ignoranti ſe invalidè contraxiſſe matrimonium, occurrat hæc cogitatio; nunquid fortè matrimonium noſtrum eſt invalidum: nullam tamen habens rationem de eo dubitandi, rectè ſibi perſuadere

poteſt ſe non peccaturum, petendo debitum ab uxore putatâ. Quod tamen facere non poteſt is, qui de nullitate matrimonii eſt poſitivè dubius, ſeu qui juſtam habet dubitandi rationem, nec poteſt ſibi formare opinionem probabilem de ejus validitate, ut jam dicemus.

R. 2. dubius poſitivè de malitiâ materiali actûs, conſcientiam formare debet, quòd ponendo illum ſit formaliter peccaturus; & conſequenter cum tali dubio operari non licet. Prob. 1. ex illo ad Rom. 14. *quod non eſt ex fide* (hoc eſt ex perſuaſione, quod res ſit licita) *peccatum eſt.* 2. quia taliter operans amat periculum peccandi, *qui autem amat periculum peribit in illo.*

Nota tamen faciendam hîc diſtinctionem inter dubium, & formidinem de oppoſito : nam qui opinionem habet probabilem de honeſtate actûs, quamvis formidet de malitiâ ejus materiali, eo quòd v. g. multi probabiliter teneant oppoſitum; non idcircò dubius eſt : nam dubium, ut diximus, eſt ſuſpenſio animi non valentis ſe in alterutram partem reſolvere, ob inſufficientiam motivi. Hinc, quod ſupra diximus, poſſe nos ſequi propriam opinionem probabilem de honeſtate actûs, etiam cum formidine de ejus malitiâ materiali, non pugnat cum eo, quod jam dicimus de operante cum dubio poſitivo.

Q. 3. *quid dicendum de conſcientiâ perplexâ?*

Conſcientia perplexa dicitur, cum quis ita dubitat, an poſſit opus aliquod ponere, aut omittere, ut putet tum in ejus poſitione, tum in omiſſione ſe peccaturum. Caſus eſt in eo, qui in die Feſto dubitat, an poſſit Miſſam omittere, ut ægro aſſiſtat, & ſimul dubitat, an poſſit ægrum deſerere, ut Miſſam audiat.

R. 1. Si tempus patiatur, tenetur adhibere media ad perplexitatem tollendam, vel quærendo

rationes intrinſecas, quæ illum determinent ad alterutrum; vel, ſi id non poſſit, conſulendo virum doctum &c. 2. Si, re, pro materiæ qualitate, & temporis anguſtiis, ſufficienter examinatâ, non poſſit dubium deponere, faciat quod ipſi repræſentatur ut minùs malum, & ſibi perſuadeat ſe in hoc peccare non poſſe; cùm nemo conſtitui poſſit in talibus circumſtantiis, ut quidquid faciat, non poſſit non peccare. 3. Si, omnibus ſpectatis, illi utrimque appareat æquale peccatum, faciat quod volet, perſuaſus hoc ſibi licere in talibus circumſtantiis; ſic enim non peccabit, quidquid faciat. Denique ſi, re ſufficienter examinatâ, appareat illi aliqua peccati inæqualitas, & eligat id, quod repræſentatur ut majus peccatum, peccabit; non tamen adæquatè ad quantitatem malitiæ, quæ repræſentatur in opere ſecundùm ſe, ſed ſecundùm quantitatem exceſsûs unius ſupra alterum. Unde ſi exceſſus repræſentetur ut notabilis, & qui de ſe ſufficeret ad peccatum mortale, peccabit mortaliter; ſi levis, venialiter.

Q. 4. *Quomodo formanda conſcientia in dubiis de fundamento malitiæ materialis?*

R. Duo potiſſimùm aſſignari ſolent principia pro formandâ conſcientiâ in ejuſmodi dubiis, nempe hæc: *in dubio melior eſt conditio bonâ fide poſſidentis.* Et *in dubio pars tutior eſt eligenda.* Quæ quidem principia plurimùm juvare poſſunt ad formandam conſcientiam in dubiis de fundamento malitiæ materialis, non ſunt tamen ſequenda univerſaliter. Nam 1. hoc principium: *in dubio melior eſt conditio bonâ fide poſſidentis.* Locum non habet in dubiis de fundamento, à quo poteſtas humana obligationem ponendi, vel omittendi actum, tollere non poteſt. Tale fundamentum eſt v. g. nullitas matrimonii, quâ poſitâ, omnis pe-

titio, & redditio debiti conjugalis eſt materialiter mala. Unde dubius de tali fundamento procedere debet ſicut dubius de malitiâ materiali actûs. Quare dubius an matrimonium validè contraxerit, quamvis ſit in poſſeſſione ſui matrimonii, quod bonâ fide contraxerat, non poteſt petere debitum, licet comparti bonâ fide petenti reddere teneatur. capit. *Dominus* de ſecundis nuptiis. Similiter qui tamquam Sacerdos diu celebravit, adeóque eſt in poſſeſſione celebrandi, ſi rationabiliter dubitare incipiat, an validè ordinatus ſit, non magis celebrare poteſt, quàm is, qui dubius de validâ ordinatione nunquam celebravit. Item multi ſunt caſus in jure, in quibus principium iſtud non habet locum. v. g. in dubio, uter ex duobus titulum dominii priùs acceperit: is enim, qui oſtendit ſe accepiſſe tempore certo, prefertur poſſeſſori. qui tempus certum oſtendere non poteſt. Item in dubio an res ſit donata, poſſeſſor donationem probare debet contra donatorem, & hæredes. & ita in multis aliis.

2. Hoc principium: *in dubio pars tutior eſt eligenda:* ſubſiſtit quidem in dubiis de fundamento, à quo poteſtas humana obligationem ponendi, vel omittendi actum, adeóque malitiam materialem actûs, ſive omiſſionis ſeparare non poteſt: in aliis tamen, in quibus poteſtas humana tollere poteſt obligationem ponendi, vel omittendi actum, adeóque malitiam materialem actûs; qualia ſunt dominium rerum corporalium, valor contractuum, & teſtamentorum &c. non ſemper eligenda eſt pars tutior. Nam 1. in materiâ juſtitiæ ſæpius prævalet illa alia regula juris: *in pari causâ potior eſt conditio poſſidentis.* Quamvis nec ipſa ſemper ſubſiſtat, ut oſtenſum eſt. 2. nec in materiâ aliarum virtutum univerſim ſequendum eſt id, quod eſt tutius. Sæpè enim in aliis mate-

riis, quàm juſtitiæ, melior eſt conditio negantis, quàm aſſerentis, v. g. in materiâ obedientiæ, dubius an ſuperior aliquid præceperit, obedire non tenetur. cap. *cùm in jure* de officio & poteſtate judicis delegati. Neque univerſim ſubſiſtit, quod dicunt Salas in p. 2. tractatu 8. ſect. 17. & 19. Breſſerus lib. 4. de Conſcientiâ n. 46. & alii: nempe quòd in dubio circa materiam juſtitiæ melior ſit conditio bonâ fide poſſidentis: in dubiis autem circa alias materias ſequendum ſit id, quod tutius eſt, niſi incommodum magnum excuſet: nam, ut jam dictum eſt, dubius de præcepto ſuperioris creati, non tenetur ſequi, quod eſt tutius, quamvis obedire poſſit ſine magno incommodo. Deinde is, qui duxit uxorem, in dubio an ſit ejus affinis, ab eâ ſeparari debet, licet ſeparatio fieri non poſſit ſine magnis incommodis. capit. *juvenis* de Sponſalibus.

Dices capit. *ad audientiam* de homicidio, & capit. *ſignificaſti*. Eodem tit. decernitur, quòd, in dubio commiſſi homicidii, dubitans cenſeri debeat irregularis: & additur hæc ratio: quia pars tutior eſt eligenda, pars ſecurior eſt tenenda &c. Ergo univerſim ſubſiſtit hoc principium.

R. Nego conſequentiam, & dico cum Suarez Sanchez. &c. Pontificem iis verbis non velle decernere hoc eſſe neceſſarium univerſaliter, neque inniti huic principio, tamquam per ſe obliganti in omni materiâ, ſed tamquam motivo, quo inductus eſt ad ita decernendum in hâc particulari materiâ, ob ſpecialem reverentiam miniſterii altaris, & hoc indicari videtur capit. *ſignificaſti* cit. ubi dicitur: *cùm hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temerè celebrare.*

Ceterùm ſemper eligenda eſt pars tutior, quando dubium de fundamento malitiæ materialis eſt vincibile: nam ſi adhibendo moralem dili-

gentiam potes venire in certiorem notitiam obligationis dubiæ, v. g. obligationis obediendi ſuperiori, teneris de eo inquirere, vel obedire. Hæc autem diligentia in inquirendo debet eſſe major, aut minor pro rei gravitate, & prout res, & locus patitur. Vide pro his Schilder tract. 3. cap. 2. ubi oſtendit non poſſe dari unum generale principium pro formandâ conſcientiâ in dubiis de fundamento malitiæ materialis actûs, ſicut datur pro dubiis de ipsâ materiali malitiâ. Aſſignat autem ipſe octo principia generalia pro ejuſmodi dubiis, & explicat.

CAPUT VII.

De Conſcientiâ ſcrupuloſâ.

Q. I. *Quid conſcientia ſcrupuloſa, & quid ſcrupulus?*

R. Conſcientia ſcrupuloſa hîc ſumitur pro animo ſcrupulis habitualiter agitato; & ſubinde etiam pro ipſo ſcrupulo actuali. Eſt autem ſcrupulus, apprehenſio ſeu ſuſpicio, ac formido peccati, ex levibus fundamentis orta, reddens hominem anxium in operando. Unde conſiſtit primariò, & formaliter in intellectu; ſecundariò & conſecutivè in voluntate, quatenus importat anxietatem &c.

Q. 2. *Quæ ſint cauſæ ſcrupulorum?*

R. Aliæ ſunt intrinſecæ, aliæ extrinſecæ. Intrinſecæ ſunt, complexio melancholica cauſans cogitationes triſtes; debilitas capitis impediens hominem, ne ad principia formandæ rectæ conſcientiæ idonea ſeſe applicare poſſit; judicii im-

becillitas; ignorantia; mentis inconſtantia; ſubinde acumen ingenii excogitantis rationes dubitandi, quas non poſſit ſolvere; occulta ſuperbia, quâ quis nimiùm confidit proprio judicio, nec acquieſcit alieno &c. Cauſæ extrinſecæ ſunt, otium, ſeu defectus occupationum intellectum à ſcrupulis diſtrahentium; lectio caſuum conſcientiæ cum incapacitate diſcernendi; converſatio cum ſcrupuloſis; ſuggeſtio dæmonis; Deus ipſe immittens ejuſmodi anxietates in pœnam peccatorum præteritorum, aut ad cautelam futurorum, vel certè ad virtutis exercitium.

Q. 3. *Quomodo conſcientia à ſcrupuloſo formanda.*

R. Si quis verè, & ſtrictè ſcrupuloſus ſit, poteſt, & ſæpè expedit agere contra ſcrupulum; quia plerumque in illis non eſt vera conſcientia, ſed tantùm fortis apprehenſio, & formido peccati; vel, ſi ſit judicium, eſt tantùm ſpeculativum nixum levibus fundamentis, quo non obſtante, poteſt formare verum, & rectum judicium practicum de honeſtate actûs. Pro praxi autem obſervanda ſunt ſequentia.

1. Scrupuloſus habens opinionem probabilem de honeſtate materiali actûs, aut de aliâ re, à quâ honeſtas illa dependet, non obſtante gravi formidine, & anxietate de oppoſito, rectè format ſibi conſcientiam ſe non peccaturum formaliter, etiam ſi nullum aliud incommodum ſit vitandum; quia, ex dictis, licitum eſt ſequi propriam opinionem probabilem de honeſtate actûs, relictâ tutiore, quando hanc non poſſumus ſequi ſine notabili incommodo proprio, aut alieno: ſcrupuloſo autem eſſet maximum incommodum velle ſemper ſequi opinionem tutiorem, imò & conſcientiæ carnificina, quam Deus nullo modo ſuis præceptis induxiſſe dicendus eſt: cùm Trid. ſeſſ. 14. cap.

5. dicat impium eſſe id aſſerere de confeſſione Sacramentali.

2. Scrupuloſus non tantùm formidans (ut plerumque fit) ſed verè , & rationabiliter judicans actum eſſe materialiter malum , non poteſt prætextu ſcrupulorum , ſtante illo judicio (quod ſuppono eſſe verè probabile , & non ſolùm phantaſticum) formare conſcientiam ſe non peccaturum , illum ponendo. Quia , quamdiu ejuſmodi judicium verè probabile non deponit , eſt eadem ratio pro illo, ac pro aliis. Et ita habetur cap. *per tuas* de ſimoniâ : *contra conſcientiam* (id eſt opinionem , quâ aliquis putabat Epiſcopum ordinantem eſſe ſimoniacum) *ad ſuperiores ordines non aſcendat , ne fortè ædificet ad gehennam ; licet ex eo, quòd conſcientiam nimis habuerit ſcrupuloſam, in difficultatem hujuſmodi ſit collapſus , quam utique non evadet , niſi deponat errorem.*

3. Scrupuloſus tamen faciliùs , quàm alius , & ſecuriùs poteſt, propter authoritatem alienam , propriam opinionem deponere , cùm experientiâ didicerit ſe in multis decipi , ac proinde debere ſuas opiniones habere ſuſpectas , quæ plerumque ſunt meræ hallucinationes , & apprehenſiones falſæ. Hinc cap. *inquiſitioni* de ſentent. excom. dicitur : *ad ſui paſtoris conſilium , conſcientiâ levis, & temerariæ credulitatis exploſâ* (id eſt depoſitâ) *licitè poteſt non ſolùm reddere , ſed exigere debitum conjugale.*

4. Si ſcrupuli notabilem difficultatem cauſent in obſervatione quorumdam præceptorum , à quâ alios excuſat notabile incommodum , non tenetur ſcrupuloſus ad ea præcepta ſervanda. Hinc.

Coll. 1. ſcrupuloſum circa lectionem horarum canonicarum , qui ex formidine an eas legerit , aut ſatis attentè , ſolet eas repetere , ad id non teneri , niſi certò conſtet , quòd non legerit , aut

voluntariè multùm diſtractus fuerit, quod de ſcrupuloſo non eſt præſumendum.

Col. 2 Scrupuloſum circa confeſſiones præteritas, qui valde angitur, an peccata præterita, eorumúe circumſtantias debitè confeſſus ſit, ſi poſt repetitionem illarum aliquoties factam cum morali diligentiâ, & animo integrè confitendi, eadem anxietas maneat; non teneri eadem iterum confiteri, niſi certò ſciat ſe non eſſe debitè confeſſum. Ita Emmanuel Sa. Sanchez, Bardus. Coninch. & alii. Quod etiam verum eſt, quamvis periculum eſſet, ne aliqua peccata eſſent omiſſa. Addunt Sa, Sanchez, Vaſq. &c. (ſaltem pro valdè ſcrupuloſis) illos non teneri quidquam confiteri, niſi de quo auderent jurare eſſe mortale, neque unquam fuiſſe confeſſum. Ratio eſt, quia non tenetur taliter ſcrupuloſus ad omnimodam integritatem confeſſionis cum tanto ſuo incommodo, & periculo ſemper manendi in moleſtâ illâ anxietate.

Coll. 3. ſcrupuloſum circa cogitationes venereas, qui ſolet eſſe valdè anxius, an illis conſenſum præbuerit, licitè poſſe in confeſſione omittere delectationes, & conſenſus dubios, & tantùm confiteri certos. Ita cum communi Bardus diſcep. 7. c. 6. §. 3. quod tamen intelligendum eſt de ſcrupuloſis timoratis, qui ita affecti ſunt, ut pro nullâ re creatâ vellent Deum graviter offendere: hi enim tutò credere poſſunt ſe non conſenſiſſe, quamdiu evidenter conſenſum non adverterint; immò fieri poteſt, ut quis ſit adeò præ ſcrupulis turbatus, ut, quamvis illi evidens videatur, quòd conſenſerit, poſſit tamen ex judicio prudentis Directoris formare conſcientiam, quòd non conſenſerit. Idem cum proportione dicendum de ſcrupuloſis circa cogitationes contra fidem, cogitationes blaſphemiæ &c.

Q. 4. *unde dignoſci poſſit an quis ſit verè & propriè ſcrupuloſus ?*

R. Solere afferri hæc indicia : 1. ſi ipſe experiatur ſe ſæpe anxium hærere, ubi aliquid faciendum eſt, idque etiam in rebus ſat certis, in quibus videt communiter Viros doctos, & timoratos nullam apprehendere culpam. 2. Si quis ſuis opinionibus ſoleat tenaciter adhærere, nec aliorum etiam peritiorum judicio acquieſcere. 3. Si nimius ſit in ſuis reflexionibus, & ad ſingula, rationes dubitandi ſibi objiciat. 4. Si à perito, & prudenti Confeſſario, aut Directore judicetur verè ſcrupuloſus &c.

Q. 5. *Quæ ſint remedia contra ſcrupulos ?*

R. Hæc paſſim à DD. & peritis conſcientiarum Directoribus aſſignari.

1. Recurrere ad Deum per orationem & alia pietatis exercitia, nominatim per actus humilitatis, fiduciæ in Deum &c.

2. Sequi in omnibus directionem ſui ſuperioris, aut Confeſſarii, aut alterius viri prudentis, quo Directore utitur, non obſtante quâcumque formidine, aut repugnantiâ; certò ſibi perſuadendo ſe hoc modo errare non poſſe, neque ſibi ad culpam imputandum, ſi fortè contingeret Directorem in dando conſilio decipi. Nec refert quòd ſibi videatur operari conſcientiâ dubiâ, quia hoc ipſum ſcrupulus eſt : & poteſt ſibi formare conſcientiam certam, quòd, quamdiu non eſt evidenter certus de oppoſito, poſſit in operando ſequi conſilium ſui Directoris, deponendo quamcumque ſuam opinionem contrariam. Expedit nihilominus, ut aſſueſcat ipſe per ſeipſum ſcrupulis occurrere, eoſque contemnere, ne ad ſingula Directorem adeat; quia ad hoc non tenetur. Et poteſt etiam homo rudis, in multis ſeipſum reſolvere; ut ſi jam in ſimilibus reſolutionem acce-

perit, aut antè prævideat quid Director ſit reſponſurus &c.

3. Habere in promptu aliquot principia generalia ſedandis ejuſmodi conſcientiis accommodata: ut quòd liceat propriam opinionem probabilem de honeſtate actûs ſequi, relictâ tutiore: quòd liceat ob notabile aliquod incommodum facere confeſſionem non materialiter integram; & eo caſu peccata omiſſa, uti & illa, quæ per oblivionem excidunt, ſimul cum aliis remittantur, cum obligatione tamen ea confitendi, ſublato incommodo, aut cùm fuerint in memoriam revocata: quòd ſcrupuloſus tutò poſſit propriam opinionem deponere, & directoris judicio, conſilioque acquieſcere: quòd ſcrupuloſis plura liceant quàm aliis, immò generaliter ex conſilio confeſſarii, aut directoris &c. poſſit ſcrupuloſus in operando ſibi perſuadere nihil eſſe mortale, niſi quod ipſi evidens eſt eſſe tale; idque quamvis hoc modo periculum eſſet incidendi in aliquod materialiter mortale: quia ſcilicet ſcrupulorum incommoda tanta ſunt, ut ratione illorum poſſit iſtius periculi non haberi ratio.

4. Otium fugere, & mentem in ipſis ſcrupulorum initiis, aliò avertere.

5. Si ſcrupuli proveniant ex capitis debilitate, aut ex melancholiâ &c. remedium à medicis eſt quærendum.

Q. 6. *Quomodo gerere ſe debeat confeſſarius cum ſcrupuloſo?*

R. Cauſas ſcrupulorum diligenter exploret, & ex allatis remediis ea præſcribat, quę ipſi profutura judicat. Specialiter autem, quod ad peccatorum antè confeſſorum repetitionem attinet, impedire eam non debet in eo, qui non videtur ſatis purgatus à præteritis peccatis; aut qui ſcrupulum facit in quibuſdam, & interim in externa quæ-

dam peccata prolabi non curat. Niſi tamen advertat ex repetitione peccatorum jam antè confeſſorum, periculum eſſe ne in ea de novo conſentiat. Ratio eſt, quia ſcrupuli animos non parum ſollicitos tenent, ne liberiùs peccent; & in peccatoribus recens converſis, faciunt ut conſcientiam purgent, atque etiam per ſcrupulorum moleſtias patienter toleratas ſatisfaciant pro peccatis. Item refrænant paſſiones, humilitatem generant &c. E contrario repetitionem illam impedire debet Confeſſarius pœnitentibus timoratis, qui ſunt ſufficienter à peccatis purgati, ſi ex eorum ſcrupulis oriatur nimia anxietas, & triſtitia faciens viam virtutis apparere nimis arctam & difficilem; ſic ut inde ſit periculum, ne rationem vitæ perfectioris bene inceptam deſerant. Item repetitionem illam impedire debet, ſi uſus rationis ex illâ repetitione circa aliquid in pœnitente debilitari deprehendatur: ſi corpus inde commoveatur cum morbi periculo: ſi puſillanimitas inde exoriens ſcrupuloſum reddat ineptum cuivis operi ad Dei gloriam, aut proximi ſalutem conducenti; præcipuè tamen, quando in pœnitente periculum oritur peccandi de novo.

TRACTA-

TRACTATUS III.

DE PECCATIS.

PEccatum in genere eſt exercitium poſitivum, vel negativum libertatis contra legem poſitam agenti rationali. Vel breviùs, eſt libera transgreſſio legis. Vel diſtinctiùs. Eſt *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Ita S. Tho. poſt Aug. quâ definitione etiam implicitè deſcribitur peccatum omiſſionis; quia ſub *dicto* comprehenditur *non dictum*: ſub *facto, non factum* &c.

Dividitur generaliter primò in peccatum commiſſionis, & omiſſionis. Peccatum commiſſionis eſt, quo violatur lex prohibens aliquid fieri, ſeu præceptum negativum; quale eſt: *non occides, non furtum facies &c.* Talis enim lex violari nequit, niſi faciendo, ſeu committendo id, quod prohibet. Peccatum omiſſionis eſt, quo violatur lex aliquid præcipiens, ſeu præceptum affirmativum; quale eſt honorandi Parentes, audiendi Sacrum diebus Feſtis &c.

Dividitur 2. in mortale, ſic dictum, quòd mortem animæ inferat, eam privando gratiâ habituali, quæ eſt animæ vita: & veniale, ſic dictum, quòd, cùm non tollat amicitiam Dei, de ſe relinquat principium veniæ. Hæc diviſio eſt peccati actualis. De peccato habituali, & originali, in quo conſiſtaut, inquirunt Scholaſtici.

CAPUT PRIMUM.

De Peccato mortali, & veniali, & eorum comparatione ad invicem.

Q. 1. *In quo praeciſè differant peccatum mortale, & veniale?*

R. In eo, quòd mortale ſit gravis offenſa, & injuria Dei, illiuſque contemptus, ſaltem virtualis; quatenus peccans ita afficitur erga bonum aliquod creatum, ut præ illo amicitiam Dei contemnat. Hinc dici ſolet eſſe averſio à Deo, & converſio ad creaturam. Veniale autem eſt levis offenſa Dei, nec ſufficiens ad diſſolvendam Dei amicitiam; & ideò dicitur veniale.

Q. 2. *An & quomodo peccatum ex genere ſuo mortale, fiat per accidens veniale?*

Suppono 1. quædam peccata eſſe mortalia, aut venialia ex genere ſuo, alia ex accidente. Mortalia ex genere ſuo ſunt ea, quæ in Dei injuriam directè tendunt; vel cum proximi injuriâ, damno, vel ipſius operantis gravi incommodo, contra naturæ ordinem, ſunt conjuncta. Talia ſunt peccata contra virtutes Theologicas: item ferè omnia, quæ ſunt contra Decalogum &c. Venialia ex genere ſuo ſunt, quæ non ita cum Dei, aut proximi injuriâ, damno, aut ipſius operantis gravi incommodo conjuncta ſunt, ut vana cogitatio, verbum otioſum, vana curioſitas &c. Mortalia ex accidente ſunt, quando ex genere ſuo ſunt venialia, aut indifferentia, & fiunt per accidens mortalia. Item venialia ex accidente ea dicuntur, quæ, cùm ex genere ſuo ſint mortalia,

ſiunt per accidens venialia, v. g. defectu advertentię &c.

Suppono 2. tria requiri ad peccatum mortale, quorum ſi unum deſit, fit veniale, quod alioqui eſſet mortale. 1. ex parte intellectûs requiritur plena advertentia, & deliberatio. 2. ex parte voluntatis plenus conſenſus. 3. Gravitas materiæ, ſaltem ex fine, ob quem aliquid præcipitur, aut prohibetur. His ſuppoſitis.

R. peccatum ex genere ſuo mortale fit per accidens veniale. 1. Ex parte intellectûs defectu perfectæ advertentiæ ad ejus malitiam; ut ſi tenuiter, & quaſi ſemiſopitus apprehendiſti eſſe malum: ſi poſt factum, re meliùs conſideratâ, judicas te non fuiſſe facturum, ſi ità apprehendiſſes: item ſi ſubitâ, & vehementi paſſione turbatus, ferè neſciveris, quid ageres &c.

2. Ex parte voluntatis, defectu pleni, & perfecti conſenſûs. Hinc ſi quis habitualiter ſit ita affectus, ut malit mori, quàm peccare mortaliter, in dubio non eſt præſumendus peccaſſe mortaliter, uti nec ſemiſopitus, aut non plenè ſui compos &c. quià in ſimilibus non præſumitur fuiſſe perfectus conſenſus.

3. Ex parte materiæ, ſi illa, ſpectatis circumſtantiis, & fine intento ab eo, qui actum præcipit, aut prohibet, cenſeatur eſſe parvi momenti.

Q. 3. *Quomodo peccatum ex genere ſuo veniale, aut actus indifferens tranſeat per accidens in peccatum mortale?*

R. communiter aſſignari quinque modos, quibus id fieri poſſit. 1. Ratione finis adjuncti: ut ſi quis mentiatur ad grave damnum alteri cauſandum. 2. Ratione nimii affectûs in rem aliquam, illam actualiter ita appretiativè æſtimando, ut ejus causâ paratus ſit transgredi præceptum obli-

gans ſub mortali: ut ſi quis ita ſit affectus erga luſum, ut paratus ſit die Feſto Sacrum omittere potiùs, quàm luſum. Dixi *actualiter*, quia, ut notat Bonac. ad peccatum contrahendum non ſufficit ejuſmodi affectus habitualis, ſed requiritur actualis. 3. Ratione contemptûs formalis: ut ſi quis, etiam in re levi, renuat obedire ſuperiori, quia abſolutè non vult illi ſubjici; aut ideò non vult obedire præcepto, quia præceptum eſt: in his enim, ut patet, includitur peccatum inobedientiæ formalis. 4. Ratione ſcandali: ut ſi ex illo prævideatur ſecutura proximi ruina, quam ex charitate teneatur impedire. 5. Ratione periculi; quando quis ex actione venialiter malâ novit ſe incurrere proximum periculum peccandi mortaliter.

CAPUT II.

De diſtinctione ſpecificâ & numericâ peccatorum.

Q. 1. *Unde petatur diſtinctio ſpecifica peccatorum?*

R. 1. Generaliter ea diſtingui ſpecie per ordinem ad præcepta ſpecie diverſa: cùm enim peccatum ſit tranſgreſſio legis, ſeu præcepti, ubi ſunt diverſa præcepta, diverſa ſunt peccata, quæ ea transgrediuntur. Porro diverſæ ſpeciei præcepta ſunt, quæ actiones diverſæ ſpeciei præcipiunt, aut prohibent; vel actiones ejuſdem ſpeciei ſub diverſis motivis; ut ſi jejunium v. g. præcipiatur, nunc ſub motivo unius virtutis, puta cultûs Divini, nunc ſub motivo pœnitentiæ; qui illud

tranſgreditur, nunc peccat contra virtutem Religionis, nunc contra virtutem pœnitentiæ &c. diverſis ſpecie peccatis.

R. 2. Specialiter ea diſtingui ex objecto, fine intrinſeco, & circumſtantiis, quæ ſint moraliter ſpecie diverſa. Nam cùm peccata ſint actus, aut actuum omiſſiones; actus autem, ut dictum eſt tract, 1. cap. 6. ſpecificentur moraliter ab objecto, fine & circumſtantiis, ſequitur ab illis petendam eſſe diverſitatem ſpecificam peccatorum. Vide quæ ibi diximus de bonitate, & malitiâ actuum, quæ ex his petuntur.

Q. 2. *Vnde petatur diſtinctio numerica peccatorum?*

R. ex duobus præcipuè capitibus. 1. Ex objectis numero diverſis. 2. Ex interruptione morali actuum. Dico *morali:* quia ad multiplicitatem numericam actuum in ordine ad confeſſionem, non ſufficit quælibet interruptio phyſica, ſed requiritur moralis, ſeu talis, quæ, moraliter loquendo, non cenſeatur una, & eadem actio completa.

Hinc 1. actus internus voluntatis ſæpius interruptus, & repetitus, licet phyſicè ſit multiplex, moraliter tamen eſt unum peccatum, ſi conſummetur in opere aliquo externo per eum intento, & cauſato. Et idem eſt de pluribus actibus externis ſibi invicem ſubordinatis ad eumdem finem. Unde qui ex intentione occidendi hominem ſumit arma, accingit ſe itineri, ſæpè occidendi intentionem renovat, ac tandem hominem occidit, unum moraliter homicidii peccatum committit; quamvis ſuam occidendi voluntatem ſæpius phyſicè interruperit, ſive per diſtractionem ad alia, ſive etiam per ſomnum. Si tamen primam ſuam occidendi voluntatem aliquoties retractarit per contrariam voluntatem, & propoſitum, ac poſteà reſumpſerit, tot ſunt peccata numero diſtinc-

ta. quoties pravam illam voluntatem de novo reſumpſit.

2. Plures actiones externæ ordinatæ ad eumdem finem, ſi ſint ejuſdem malitiæ cum fine, & circa eamdem perſonam, non diſtinguuntur moraliter ab ipſo fine, & actu principali; ut in exemplo allato de homicidio. Sic verba impudica, tactus, oſcula &c. ordinata ad fornicationem ſubſequentem, faciunt unum totale peccatum cum ipsâ fornicatione. Item ſi Petrus ad comburendam domum Ioannis, incendat ejus ſegetes domui vicinas; vel ad furandam ejus ſuppellectilem, furetur ejus ſcalas &c. committit unum totale peccatum damnificationis proximi; quia nempe media, quæ ad illum finem adhibet, ſunt ejuſdem malitiæ cum fine, & reſpiciunt eamdem perſonam. Aliud eſſet, ſi verba impudica, tactus, oſcula &c. cum unâ, ordinarentur ad fornicandum cum alterâ: vel ſi Petrus incenderet ſegetes Ioannis, ad comburendam domum Pauli; tunc enim eſſent diſtincta numero peccata.

3. Si plures homines uno actu oderis; ſi coram pluribus perſonis locutus ſis turpia, vel de aliquo detraxeris; ſi uno actu volueris horas omittere per menſem; ſi plurium confeſſiones audieris in malo ſtatu &c. dicunt aliqui committi unum numero peccatum; alii eſſe peccata diſtincta. Verùm, parum refert, ſive dicantur eſſe plura, ſive unum; cùm hoc unum pluribus æquivaleat. An autem, & quomodo iſta ſint exprimenda in confeſſione, dicetur in tract. de pœnitentiâ, ubi de integritate numericâ confeſſionis.

CAPUT III.

De malitiâ peccati ex nocumento ſecuto.

Q 1. *Quid requiratur ut nocumentum ex peccato ſecutum augeat ejus malitiam?*

R. 1. Ut nocumentum, quod ſequitur ex peccato, augeat ejus malitiam, non requiritur, ut ſit per ſe directè intentum; ſed ſufficit eſſe indirectè, & interpretativè volitum in causâ.

Prob. quia, ex dictis tract. 1. cap. 6. ad contrahendam primam, & ſpecificam malitiam ex objecto, aut ex circumſtantiis &c. ſufficit ea eſſe volita interpretativè, & indirectè: ergo à fortiori ad augendam peccati malitiam, ſufficit nocumentum ex eo ſecutum, eſſe interpretativè, & indirectè volitum. Hinc, ſi quis jaculetur in iis circumſtantiis, quibus advertit periculum eſſe, ne hominem occidat, actio ejus contrahit malitiam homicidii; quamvis hoc nocumentum directè non intendat. Similiter ſi quis, ſciens ſe in ebrietate ſolitum jurare, blaſphemare, alios percutere &c. nihilominus ſe inebriet, effectus illi, etſi non directè ab eo intenti, illi tamen imputantur, tamquam voluntarii in causâ, & augent ebrietatis malitiam.

2. Ut nocumentum, quod ex aliquo peccato procedit, augeat ejus malitiam, debet eſſe aliquo modo prævisum: quia alioqui non eſſet voluntarium. Sufficit tamen ejus modi nocumentum eſſe prævisum in causâ, ſaltem confusè: ut ſi quis in genere advertat actionem ſuam eſſe periculoſam

de ſe, aut fieri poſſe, moraliter loquendo, ut hîc & nunc alicui noceat, nec tamen adhibeat moralem diligentiam ad nocumentum vitandum. Unde S. Tho. Quæſt. 73. art. 8. dicens nocumentum, quod per ſe ſequitur ex actu peccati, licet non ſit intentum, nec prævíſum directè, peccatum aggravare, non excludit omnem prævíſionem, etiam confuſam, & in causâ, ſed tantùm diſtinctam nocumenti in ſeipſo: quia quando nocumentum per ſe ſequitur ex actu peccati, non præſumitur ignorantia invincibilis, & conſequenter ſupponitur adeſſe notitia, ſaltem confuſa, cum culpabili defectu ulterioris conſiderationis. Patet hoc in exemplo, quod adfert publicè fornicantis, qui moraliter præſumi non poteſt ignorare ſcandalum futurum; quamvis fortè id futurum non prævideat diſtinctè, ac determinatè in ſeipſo, aut in particulari. Quòd ſi in caſu raro ſupponatur quis nocumentum, etiam per ſe connexum cum peccato, non advertiſſe, nec moraliter advertere potuiſſe, eo quòd de illo nulla prorſus ipſi, vel confuſa cogitatio inciderit, dicendum tali caſu nocumentum ad culpam non imputari, ſeu non augere peccati malitiam.

3. Ut nocumentum, quod prævidetur ex opere ſecuturum tantùm per accidens, homini imputetur, requiritur obligatio nocumenti iſtius vitandi: quia abſque illâ obligatione, nocumentum non cenſetur illi voluntarium, ut fuſiùs dicetur cap. ſequenti, de nocumento ex omiſſione ſecuto. Hinc variis caſibus fieri poteſt, ut quis ob prævíſum alterius nocumentum, quod tantùm ſequitur per accidens, non teneatur ab incepto opere ceſſare; ſive quia ad opus illud ſtrictiore præcepto obligatur, ſive quia non obſtante eo nocumento prævíſo, cenſetur adeſſe juſta cauſa, quæ tribuat ei jus actionem illam ponendi, ita ut circa nocumentum

habeat ſe tantùm permiſſivè. Sic mulier, ut marito ſuo placeat, poteſt ſe ornare juxta ſuum ſtatum, & morem Patriæ, quamvis prævideat aliquem ſumpturum inde peccandi occaſionem. Et ita de aliis.

Q. 2. *Cujus ſpecici malitiam contrahat opus ex nocumento ſecuto?*

R. 1. Si nocumentum ſequatur per ſe, ſeu ex rei naturâ, opus contrahit malitiam, quam effectus de ſe natus eſt tribuere per modum objecti; ita ut, quoad hoc, perinde ſit, ſive nocumentum ſit in ſe directè, & formaliter volitum, ſive interpretativè, & in causâ; ſive ſcienter illatum, ſive ex ignorantiâ culpabili. Patet in eo, qui temerè jaculando, non adhibitâ ſufficienti diligentiâ, ne quemquam occideret, hominem occidit: is enim hoc ipſo contrahit malitiam homicidii, ſicut ſi quis ſcienter vellet hominem occidere. Similiter ſi quis alterum impellit efficaciter ad nocendum alteri, v. g. ſi imperet, vel ſuadeat homicidium, furtum &c. participat malitiam peccati, ad quod impellit, v. g. homicidii, furti &c.

2. Si ex opere tuo ſequatur nocumentum alterius tantùm per accidens, ita ut ſis tantùm illius occaſio, cauſa autem propria ſit alterius malitia; opus tuum non contrahit eam ſpecie malitiam, quam habet effectus reipſâ poſitus, ſed illam, quæ opponitur virtuti, ex quâ obligaris non dare illam occaſionem. Exemplum eſt in eo, qui ſine causâ ſufficienti petit mutuum ab uſurario, qui peccat contra charitatem, præbendo illi occaſionem exercendi uſuram; non contra juſtitiam, contra quam peccat uſurarius. Idem eſt de variis omiſſionibus: nam ſi homo privatus omittat defendere innocentem, cùm poſſit ſine periculo, peccat contra charitatem, non contra juſtitiam: at Prætor civitatis, qui ad id tenetur ex officio,

peccat contra juſtitiam.

Q. 3. *An peccatum ſit ſemper eo gravius, quo gravius eſt nocumentum ſecutum?*

R. affirmativè, nempe per ſe loquendo, & cæteris paribus. Quod addo. 1. quia dantur peccata, quæ nulli nocent ex objecto ſuo, & tamen graviora ſunt, quàm alia cum ſuo nocumento: ut odium Dei, blaſphemia &c. 2. idem nocumentum eo magis, minuſve aggravat, quo magis aut minùs eſt voluntarium; nam directè intentum magis aggravat, quàm intentum indirectè, ſeu interpretativè. Item eo minùs aggravat, quo minùs eſt prævíſum, vel quo minùs connexum eſt cum opere, vel quo major eſt ratio opus ponendi &c. Unde fieri poteſt, ut nocumentum graviſſimum ſit tam parum prævíſum, vel tam remotè connexum cum opere &c, ut tantùm addat malitiam venialem, aut etiam nullam.

Hâc occaſione quæri ſolet, an graviùs peccaret, qui fœminam occideret, an qui eam induceret ad fornicandum? ratio dubitandi eſt, quòd fornicatio ſit malum ſuperioris ordinis, & incomparabiliter majus ipsâ morte, & quolibet alio damno corporeo.

Dicendum eum, qui inducit ad fornicandum minùs peccare; quia etſi nocumentum, quod infert, ſit gravius, & ſuperioris ordinis, non eſt tamen damnum irreparabile, ſicuti mors; neque eſt cauſa nocumenti omninò efficax; cùm adhuc maneat in fœminæ poteſtate peccare, vel non peccare. Si tamen fœminam induceret ad fornicandum in iis circumſtantiis, in quibus prævideret ſecuturam animæ ruinam irreparabilem, puta, circa mortis articulum, graviùs peccaret, quàm homicida. Similiter inducens alium ad peccandum, directè intendendo ruinam ejus ſpiritualem (quod fieri poteſt ex ſpeciali odio perſonæ) graviùs

peccaret, quàm ſi illum occideret. Ita Curiel, Granad, Præpoſ. &c.

CAPUT IV.

De Peccato omiſſionis.

Q. 1. *Quandonàm incurratur peccatum omiſſionis?*

Caſus eſt in eo, qui antecedenter ad tempus, quo urget præceptum, liberè ponit cauſam, ex quâ prævidet omiſſionem ſecuturam, ut ſi per ſomnum, ebrietatem &c. reddat ſe impotentem ad præceptum ſuo tempore implendum, v. g. ad audiendum Sacrum, ad legendas horas &c. Quæritur an tali caſu peccatum omiſſionis incurratur, quando ponitur cauſa iſtius omiſſionis, an quando, urgente præcepto, res præcepta omittitur?

Certum eſt 1. tunc peccare, cùm ponit cauſam, ex quâ prævidet ſecuturam omiſſionem; quia qui ponit liberè cauſam omiſſionis, vult, ſaltem interpretativè, ipſam omiſſionem, & conſequenter incurrit malitiam peccati omiſſionis; quia uni, eidemque præcepto repugnant, liberè omittere, & liberè ponere cauſam efficacem omiſſionis.

Certum eſt 2. omiſſionem ipſam eſſe formaliter peccatum, quando quis eo tempore, quo urget præceptum, poteſt illud implere, & liberè omittit: quia ea omiſſio eſt verè exercitium libertatis præſentis. Nunc ad quæſitum.

R. Omiſſio, quæ accidit tunc, cùm non eſt ampliùs in poteſtate hominis illam impedire, non eſt formaliter peccatum; adeóque tunc pro-

p:iè incurritur peccatum omiſſionis, cùm ponitur cauſa, ex quâ prævidetur ſecutura omiſſio. Ita Vaſq. Azor, Curiel, Granad. &c. contra Sotum, Suarez, Valent. Sanchez, Salas &c.

Prob. 1. quia hæc omiſſio, dum exercetur, non eſt libera, ergo non eſt peccatum formaliter.

Prob. 2. quia aliàs omiſſio, dum exercetur, adhuc eſſet peccatum formaliter, quamvis voluntas omittendi jam eſſet retractata, & conſequenter homo exiſtens in gratiâ (pravâ ſuâ voluntate jam retractatâ, & condonatâ) per illam omiſſionem peccaret; quia nempe talis omiſſio adhuc poneretur vi prioris voluntatis liberè, æquè ac ſi ea voluntas non fuiſſet retractata.

Simile eſt in effectibus poſitivis, qui dum ponuntur, non ſunt ampliùs in poteſtate illius, qui cauſam poſuit, quam non poteſt impedire, ne effectum illum producat. Nam peccatum homicidii v. g. in eo, qui alteri venenum propinaſſet, non debet dici incurri, quando mors de facto ſequitur ex illo veneno, quam utique impedire non poteſt, qui venenum propinavit; ſed quando venenum liberè propinatum eſt; alioqui enim, qui venenum propinaſſet, cujus actio duraret per plures menſes, toto illo tempore peccaret formaliter peccato homicidii; quamvis factum, fuiſſet retractatum per pœnitentiam. Similiter quando quis ſagittâ, aut globo alterum occidit, incurritur malitia homicidii, quando emittitur ſagitta, aut globus. Item incurritur malitia homicidii, pollutionis &c. quæ prævidentur in ebrietate, aut ſomno ſecutura, quando liberè ponitur eorum cauſa, unde in his & ſimilibus, ſi ante ſecutam omiſſionem, aut alium effectum, homo Deo reconcilietur per pœnitentiam, & abſolutionem ſacramentalem, per ſe loquendo, non tenebitur illud iterum confiteri effectu ſecuto. Dico *per ſe*

loquendo; quia per accidens ſæpe fit; ut neceſſarium ſit illud iterum Confeſſario aperire; ut is cognoſcat an pœnitens incurrerit cenſuram Eccleſiaſticam, aut obligationem reſtituendi &c.

Dices 1. Ideò actus externus eſt peccatum, licet non ſit in ſe formaliter liber, quia per ſe repugnat præcepto, & procedit ab actu interno libero, ergo ſimiliter omiſſio.

R. Diſt. conſequens: ergo ſimiliter omiſſio, quæ, dum exercetur, adhuc eſt in hominis poteſtate, C: ſi non ſit ampliùs in hominis poteſtate, ut in noſtro caſu, N. itaque conſequenter dicendum eſt actum externum tunc ſolùm eſſe formaliter peccatum, quando ita procedit ab actu libero, ut ab illo præſente informetur, ejuſque libertatem participet; hoc eſt, quando ita exercetur, ut hìc & nunc ſit in poteſtate voluntatis illum non ponere. Et ſic eſt paritas cum omiſſione.

Dices 2. Talis omiſſio punitur ut culpabilis, nam ſæpe ei annexa eſt cenſura Eccleſiaſtica, aut alia pœna, quæ non incurreretur, ſi non ſequeretur omiſſio.

R. Puniri ut culpabilem in ſuâ causâ, non ut culpabilem in ſe formaliter. Et hoc ipſum admittere debent adverſarii, quatenus admittunt talem eventum, poſt retractationem prioris voluntatis, non eſſe formaliter peccatum; cùm tamen fateri debeant inducere cenſuras Eccleſiaſticas, & ſimiles pœnas, pro quibus ſufficit, quòd ſit effectus, aut conſummatio peccati.

Dices 3. Inde ſequitur eum, qui ſuâ culpâ morbum contraheret, reum eſſe omnium omiſſionum, v. g. miſſarum, jejuniorum, horarum canonicarum &c. quas prævidet ex iſto morbo ſecuturas; quod eſt nimis rigidum.

R. Leges poſitivas non obligare cum tanto ri-

gore ad aliquid faciendum, ut univerſaliter obligent ad vitandum omne impedimentum ejus, ſed tantùm impedimentum, ex quo proximè moraliter ſequitur omiſſio. Quare dicendum in caſu iſto talem non contrahere malitias omnium dictarum omiſſionum, niſi illas diſtinctè intenderit, vel ad hoc procurarit morbum, ut præceptum eluderet. Non eſt ergo ſatis, quòd omiſſiones illas prævidérit ſecuturas ſimpliciter, ſed, ut earum malitiam contrahat, opus eſt prævidiſſe futuras contra obligationem præcepti: præceptum autem, ut dictum eſt, non eo uſque obligat. Ita Præp. hîc citans Sanchez dicentem eſſe difficile de hoc quidquam univerſaliter decernere.

Dices 4. S. Tho. 2. 2. Q. 79. art. 3. ad 3. expreſsè docet contrarium his verbis: *cum aliquis de ſerò ſe inebriavit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, ut debet; dicunt quidam quòd tunc incepit peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actum illicitum, & incompoſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur, ſed hoc non videtur verum: quia dato quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Vnde patet, quod præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Vnde dicendum eſt, quòd omiſſio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter cauſam præcedentem, ex quâ omiſſio ſequens redditur voluntaria.*

R. Verba illa de ſe difficilia, etiam ab adverſariis eſſe accommodè explicanda: cùm alioqui videatur ſignificari peccatum omiſſionis tunc ſolùm incipere, quando urget præcepti executio, adeoque hominem tunc non peccare contra præceptum, cùm liberè ponit cauſam cum præviſione omiſſionis ſecuturæ; quod certò falſum eſt. Dico igitur S. Thomam loqui directè de ipsâ actuali omiſſione, quam dicit tunc ſolùm eſſe culpa-

bilem, quando eſt tempus operandi: ſicut enim tunc primùm eſt omiſſio, ita tunc primùm eſt omiſſio culpabilis: non tamen culpabilis in ſe formaliter, ſed in ſuâ causâ. Unde etiam anteà, cùm nondum eſſet omiſſio, non poterat homo dici incurriſſe pœnas impoſitas omiſſioni culpabili.

Q. 2. *An omne opus conjunctum cum omiſſione culpabili ſit peccatum?*

Suppono ex dictis ſuprà tract. 1. cap. 2. ad hoc, ut effectus, qui ſolùm per accidens ex omiſſione ſequitur, ſit voluntarius omittenti, & ei imputabilis ad culpam, requiri obligationem effectum illum impediendi: recole ibi dicta. Quo ſuppoſito.

R. 1. Non omnis actus, qui quomodocumque conjungitur cum omiſſione culpabili, eſt peccatum. Prob. quia poteſt actus aliquis merè per accidens, & ſolùm concomitanter habere ſe ad omiſſionem, ita ut non ſit cauſa, vel occaſio illius; præſertim ſi ponatur non eſſe incompoſſibilis cum actu præcepto; v. g. qui ex tædio ſacri, illud omittit die feſto, & interim, ne otioſus ſit, recitat roſarium, peccat quidem omiſſione ſacri, ſed non recitatione roſarii, ut patet.

R. 2. Omnis actus conjunctus cum omiſſione culpabili, qui eſt aliquo modo cauſa illius, & eligitur cum prævifione omiſſionis ex illo ſecuturæ, peccatum eſt. Prob. quia talis actus vitiatur per circumſtantiam mali effectûs. Poteſt autem multipliciter actus aliquis eſſe cauſa omiſſionis culpabilis. 1. Per modum cauſæ finalis; ut in eo, qui omittit ſacrum ut ludat, ut ſtudeat &c. 2. Si ſumatur ut medium conducens ad iſtam omiſſionem, ut ſi quis ſe applicet ad dormiendum, ut inde ſequatur omiſſio ſacri. 3. ſi ſit occaſio omiſſionis, ut fit in eo, qui jam intentus

luſui, aut ſtudio, ſacrum negligit.

Q. 3. *An ejuſmodi actus contrahat malitiam diſtinctam à malitiâ ipſius omiſſionis exprimendam in confeſſione?*

Affirmat Granadus dicens tale opus habere præterea ſpecialem malitiam aliquo modo oppoſitam illi virtuti, ad quam alioqui pertineret, v. g. in eo, qui omittit ſacrum ut ſtudeat, dicit hoc ſtudium præter malitiam, quam contrahit ab omiſſione culpabili, cujus eſt cauſa, habere præterea ſpecialem inordinationem, ſeu malitiam repugnantem virtuti ſtudioſitatis, ad quam pertinet ponere modum in ſtudio, ut expreſsè S. Tho. 2. 2. q. 166.

R. tamen negativè: quia ſtudium v. g. hîc & nunc non aliter malum eſt, quàm propter repugnantiam, quam habet cum præcepto audiendi Miſſam; & conſequenter non ponendi quidquam incompoſſibile cum illâ auditione. Ita communiter reliqui DD. Ad rationem in contrarium reſpondetur, in præcisâ conjunctione ſtudii cum omiſſione Sacri nihil fieri contra modum, quem præſcribit virtus ſtudioſitatis, ſi ſtudium non peccat exceſſu, vel defectu.

Q. 4. *An omnis actus incompoſſibilis cum impletione præcepti, hoc ipſo ſit peccatum, quamvis non ſit cauſa, nec occaſio omiſſionis?*

Ut ſi quis jam aliunde ſtatuerit non audire Sacrum, & interim, ne otioſus ſit, ſtudeat, aut ludat.

Affirmant Durandus, Valentia, Granad, Saïrus. &c. Negant plures, Suarez, Medina, Curiel, Malderus, Præpoſ. Tanner, & alii.

R. Si opus incompoſſibile cum actu præcepto ſit poſterius naturâ ad voluntatem efficacem omittendi, non contrahit malitiam omiſſionis.

Prob. quia in tali caſu opus illud nullo modo eſt

eſt cauſa omiſſionis, cùm ſupponatur eſſe illâ poſterius, & omiſſio ſupponatur antecedenter exiſtere vi prioris cauſæ ſufficientis, & inimpedibilis, nempe vi voluntatis efficacis omittendi independenter à ſtudio, aut luſu &c. ergo opus iſtud, quamvis incompoſſibile cum actu præcepto, non contrahit malitiam omiſſionis.

Nec refert 1. quòd, qui conſulit malum alteri antecedenter ad illud ex ſe efficaciter determinato, nihilominus peccet. Diſparitas enim eſt, quòd, qui ita conſulit, hoc ipſo eſt affectus ad malum. Deinde conſilium ex rei naturâ habet ſe antecedenter; quod non convenit operi de ſe indifferenti, & poſteriori naturâ ipsâ omiſſione, licet ſit incompoſſibile cum actu præcepto.

Nec refert 2. quòd, qui ex voluntate efficaci non audiendi Sacrum, ſomno ſe committit; aut ex voluntate non legendi officium, breviarium projicit in flumen in iis circumſtantiis, quibus non poteſt aliud habere, peccet committendo ſe ſomno, aut projiciendo breviarium, quæ tamen ſunt poſteriora voluntate efficaci non audiendi Sacrum, non legendi officium &c. Nam hi non ideò præcisè peccant, quòd actiones illæ ſint actui præcepto incompoſſibiles; ſed ex eo, quòd in poſterum reddant impoſſibilem impletionem præcepti habentis latitudinē temporis in ſui executione; ita ut talis, quantumvis poſtea voluntatem mutet, non poſſit præceptum implere. Unde tale opus, licet ſit naturâ poſterius omiſſione, ut primò volitâ, eſt tamen prius, & reipsâ cauſa efficax ejuſdem omiſſionis, ut in poſterum continuatæ. At in noſtro caſu ſupponitur, quòd opus nullo modo influat in omiſſionem, & ex parte ſuâ relinquat in poſterum liberam executionem præcepti; ſuppono enim ſemper poſſe hominem ceſſare ab illo opere, & præceptum implere.

CAPUT V.

De ſubjecto Peccatorum.

Q. 1. *An in appetitu ſenſitivo poſſit eſſe peccatum?*

R. in appetitu ſenſitivo ſecundùm ſe ſpectato, id eſt, abſque ordine ad voluntatem, non poteſt eſſe peccatum formaliter, ſeu quod homini imputetur ad culpam.

Prob. 1. ex Aug. variis locis, & nominatim lib. 1. retract. cap. 9. ubi docet *omne peccatum voluntate committi.*

2. Ex S. Tho. hic q.74 art. 2. ad 1. *non peccatur*, inquit, *niſi voluntate ſicut primo movente: aliis autem potentiis peccatur, ſicut ab eâ motis.* Unde art. 3. & 4. dicens in ſenſualitate (id eſt appetitu ſenſitivo) poſſe eſſe aliquod peccatum, non tamen mortale, ſed veniale tantùm; intelligendus eſt de appetitu ſenſitivo, non quatenus movetur à voluntate, aut illi plenè ſubeſt; ſic enim capax eſt mortalis, æquè ac venialis; ſed quatenus prævenit, vel impedit perfectam deliberationem, quæ requiritur ad mortale: quando enim vehementia paſſionis impedit advertentiam rationis ſufficientem ad peccatum mortale, & relinquit ſufficientem ad veniale, opus iſtud per quamdam accommodationem tribui ſolet ſenſualitati, non quòd à ſenſualitate habeat libertatem ſufficientem ad peccatum, ſed quòd parum habeat de ratione, multum autem de concupiſcentiâ, neque ſit perfectè ab homine, ut rationalis eſt. Ita Granad. Azor, Conradus &c.

Prob. 3. ratione : quia alioqui ſequeretur motus ſenſualitatis omninò prævenientes rationem, & voluntatem ; immò quibus voluntas poſitivè reſiſteret, eſſe peccata ; quod eſt contra Trid. ſeſſ. 5. cap. 5. ubi docet *concupiſcentiam non poſſe nocere non conſentientibus; conſentire autem* (ut ibi additur) *propriè eſt voluntatis.*

Col. non omnes motus concupiſcentiæ, etiam indeliberatos, circa illicita, eſſe peccata, ut volebant Lutherus, Calvinus, item Bajus, cujus hæc propoſitio : *prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, non concupiſces* : Et iſta : *concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Damnatæ ſunt à duobus Pontificibus, Pio V. & Gregorio XIII. Idem docet Janſenius Iprenſis lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25. & alibi. Unde in ejus indice ad tom. 2. expreſsè ponitur : *concupiſcentia motus indeliberati ſunt peccata.* Quæ doctrina manifeſtè repugnat Trid. & Aug. multis locis, & nominatim de vera religione cap. 14. dicenti : *nunc verò uſque adeò peccatum, voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Item decreto Innoc. X. damnantis 3am. Ianſenii propoſitionem, & definientis, ad demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem à neceſſitate ; quæ libertas non convenit motibus concupiſcentiæ indeliberatis, ut clarum eſt. Et verò, ſi in motibus indeliberatis eſſent peccata, admittenda eſſent peccata actualia in dormientibus, amentibus, & aliis rationis uſu deſtitutis, de quibus Aug. lib. 1. de civit. c. 25. agens de carnis rebellione ſic dicit : *quantò magis abſque culpâ eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpâ eſt in corpore dormientis* ?

Atque hęc non tantùm probant motus concu-

piſcentiæ indeliberatos non eſſe mortalia, ſed nec venialia, contra nonnullos antiquiores, ut Magiſtrum, Guillielmum Pariſienſem, Alenſem &c. qui tenuerunt omnes motus concupiſcentiæ inordinatos (ſaltem provenientes ex apprehenſione imaginationis, & non ex merâ ipſius organi alteratione) etiam cùm præveniunt rationem, eſſe ſaltem venialia. Non tamen ex eodem principio, quo hæretici, ſed ex eo quòd putarent motus illos potuiſſe, ac debuiſſe caveri. Quæ ſententia etiam omninò rejicienda eſt ex antè dictis; cùm non ſemper ſit in poteſtate noſtrâ, vel poſitâ imaginatione turpi, motum inſurgentem comprimere; vel omnem ejuſmodi imaginationem prævenire; cùm ſæpe oriatur ex improviſo occurſu alicujus objecti, vel ex naturali commotione ſpecierum &c.

Q. 2. *An commiſſo peccato aliquid remaneat in animâ?*

R. Peccatum mortale cauſat in animâ aliquam maculam, ut patet ex pluribus Scripturæ locis: Ioſue 2. *uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis manet.* Gerem 2. *maculata es in iniquitate tuâ coram me.* Pſal. 50. *à peccato meo munda me.*

Porro hæc macula conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis, connotando peccatum præteritum; quia (ut ait S. Tho. Q. 86. art. 1.) ſicut in corporalibus macula dicitur, quando corpus aliquod nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis: ita metaphoricè dicitur macula animæ, detrimentum nitoris, quem antè habebat, proveniens ex contactu metaphorico, quo anima inhæret aliquibus rebus per amorem contra lumen rationis, & Divinæ legis. Præcipuus autem animæ nitor, quo per peccatum privatur, eſt gratia ſanctificans.

Nota quamvis communiter peccatum habituale, & macula peccati, pro eodem ſumi ſoleant; meliùs tamen ſic diſtinguuntur, ut macula peccati ſit dicta privatio, connotando peccatum præteritum; peccatum verò habituale ſit ipſum peccatum præteritum, ut non condonatum, ſive connotando privationem gratiæ.

CAPUT VI.

De Delectatione moroſâ in genere.

Q. 1. *Quid ſit?*

R. Delectatio moroſa, prout hîc accipitur, eſt deliberata delectatio de re illicitâ, ſeu delectatio, quæ concipitur, vel continuatur, poſt ſufficientem advertentiam rationis circa rem illicitam: vel aliter, eſt affectus, ſeu ſimplex complacentia objecti illiciti. Dicitur *moroſa*, non ex morâ temporis, quo durat, ſed ex eo, quòd ratio, poſt ſufficientem advertentiam, illi immoretur. Unde fit, ut delectatio circa rem illicitam poſſit eſſe diuturna, nec tamen moroſa, ſi nempe deſit advertentia rationis ſufficiens; & contrà poſſit eſſe moroſa, licet ſit brevis, immò & inſtantanea, ſi ſcilicet voluntas, poſitâ ſufficienti advertentiâ, in eam, vel ad unicum inſtans, conſenſerit.

Q. 2. *An, ut delectatio moroſa circa rem illicitam ſit peccatum mortale, requiratur conſenſus in ipſum opus illicitum?*

R. Non requiri, ſed ipſam ſolam, etiam ſeparatam ab illo conſenſu, eſſe peccatum mortale, ſi adſint conditiones de quibus infrà. Eſt communis, & certa,

Prob. 1. Authoritate. SS. Patrum, Chryſoſt. Hilarii, Greg. &c. apud Vaſq. diſp. 109. cap. 3. nominatim Aug. lib. 12. de Trinit. cap. 12. ubi ſic loquitur: *nec ſanè cùm ſolâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen, & volvens libenter; quæ ſtatim, ut attigerunt animum, reſpui debuerunt; negandum eſt, eſſe peccatum; ſed longè minus, quàm ſi opere ſtatuatur implendum. Et ideò de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectuſque percutiendum, atque dicendum, dimitte nobis debita noſtra.* Quòd autem de mortalibus hîc agat Aug. patet ex iis, quæ ſequuntur: ſic enim concludit: *hæc quippe una perſona eſt; unus homo eſt, totuſque damnabitur, niſi quæ ſine voluntate operandi; ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Notanda hæc verba; *totuſque damnabitur.* Nec refert, quòd dicat Aug. eſſe peccatum longè minus, & de talibus cogitationibus percutiendum pectus, & alia, quæ in Enchiridio dicit eſſe facienda pro venialibus; nam, ut reſpondet S. Tho. art. 8. ad 6. oratio dominica non ſolùm dicenda eſt contra venialia, ſed etiam contra mortalia; & inter mortalia datur majus & minus.

Huc etiam ſpectat illud Iobi 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Quod gloſſa explicat de conſenſu delectationis. Subdit autem Iob: *quam enim partem haberet Deus in me deſuper.* &c.

Prob. 2. ratione quia delectatio eſt actus proſecutionis, qui ſequitur naturam rei, in quam tendit (nam, ut alibi dictum eſt, bonitas & malitia actuum voluntatis ſumitur ab objecto) ergo delectatio de re graviter malâ, eſt graviter mala; & conſequenter conſenſus in illam, quem

includit delectatio moroſa, etiam ſecluſo conſenſu in rem, ſeu in opus ipſum, eſt peccatũ grave.

Q. 3. *Quæ conditiones requirantur, ut delectatio moroſa ſit peccatum mortale?*

R. Conformiter ad id, quod diximus cap. 1. de peccato mortali in genere; ad hoc, ut delectatio moroſa, & motus concupiſcentiæ circa illicita, ſit peccatum mortale, generaliter tria requiruntur; nempe gravitas materiæ ex parte objecti, advertentia ſufficiens ex parte intellectûs, & plenus conſenſus ex parte voluntatis.

Q. 4. *Quid requiritur ex parte objecti, ut delectatio moroſa ſit mortalis?*

R. Objectum delectationis moroſæ, eſt actus aliquis malus, ſeu illicitus; ac proinde, ut delectatio ſit mortalis, requiritur ex parte objecti 1. ut ſit actus graviter illicitus. 2. Ut voluntas in illum feratur ſub eâ ratione, ſub qua ei annexa eſt malitia. Poteſt autem ejuſmodi actus eſſe malus, ſeu illicitus dupliciter; abſolutè ſeu ſecundum ſe, ut furtum, baſphemia &c. Et reſpectivè ad perſonam, quæ de illo cogitat, & delectatur; ut actus conjugalis, qui, quamvis de ſe non ſit abſolutè malus, reſpectivè tamen ad hominem non conjugatum eſt malus; & moroſa, de illo delectatio in eo homine, eſt graviter illicita, utpote per ſe excitativa motuum carnalium, qui pro illo ſtatu hominem graviter dedecent.

Col. 1. delectationem moroſam circa furtum v. g. eſſe graviter illicitam, & mortalem, ſi furtum ſit grave; levem ſeu venialem, ſi furtum ob parvitatem materiæ ſit veniale. Ita delectatio de mendacio jocoſo, tantùm eſt venialiter mala, quia mendacium eſt tantùm venialiter malum. Et idem eſt de actu reſpectivè illicito, cujus delectatio eſt graviter, vel leviter mala, pro gravitate, vel levitate materiæ.

Col. 2. ſi in actu, qui eſt peccatum mortale, inveniatur aliqua conditio, ſeu ratio ſeparabilis à malitiâ, & voluntas præcisè de eâ delectetur, delectationem illam poſſe non eſſe peccatum; ut ſi quis præcisè delectetur de modo, quo quis ingeniosè alium decepit, & ejus burſam furatus eſt. Similiter poteſt quis gaudere de effectu ex aliquâ malâ actione ſecuto, v. g. de prole ſecutâ ex fornicatione; de ſanitate ſecutâ ex pollutione &c.

Cavendùm tamen in ſimilibus ne actus ipſe ſecundùm rationem ſuam ſpecificam approbetur; tunc eſſet mortale. Et ideò ab Innoc. XI. damnata eſt hæc propoſitio: *licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate conſecutas.*

Col. 3. non in ſolâ materiâ venereâ, ſed etiam in aliis dari delectationem moroſam, quæ ſit peccatum mortale; quando ſcilicet quis morosè delectatur de quocumque objecto graviter illicito, v. g. de occiſione inimici, de jacturâ bonorum illius: item de ebrietate, furto, falſo teſtimonio, &c. ibi ſiſtendo.

Col. 4. Cogitationem de re turpi ad bonum finem, v. g in ordine ad docendum, ad audiendas confeſſiones, reſolvendos caſus conſcientiæ &c. eſſe bonam: ex merâ curioſitate, eſſe malam venialiter, niſi ſit, & advertatur periculum conſensûs in rem, aut delectationem turpem; quod frequenter accidit in iis, qui in rebus venereis frequenter peccant mortaliter.

Coll. 5. non eſſe peccatum delectari de objecto ſolùm prohibito lege poſitivâ, v. g. de cogitato eſu carnium die veneris, ſi delectatio ſit præcisè de eſu carnium, ibi ſiſtendo; nam neque objectum iſtud ſecundùm ſe eſt illicitum; neque ipſe actus internæ delectationis eſt prohibitus.

Eſſet tamen peccatum, ſi quis delectaretur de tali eſu contra legem ponendo.

Specialis eſt difficultas de delectatione conditionatâ; an ſcilicet licitum ſit de objecto malo delectari ſub iſtâ conditione: *ſi non eſſet prohibitū.* De quâ dicendum, quædam eſſe objecta ita intrinſecè mala, ut, quæcumque apponatur conditio, adhuc retineant malitiam ſuam: & de talibus nunquam licitum eſt ſub ullâ conditione delectari. Tale eſt odium Dei, blaſphemia &c. Alia ſunt, in quibus materialiter ſpectatis, poteſt non eſſe malitia, ut in furto, homicidio &c. & maximè in iis, quæ ſolùm ſunt prohibita lege poſitivâ, ut in eſu carnium, omiſſione Sacri &c. & de talibus poteſt eſſe licitum delectari ſub conditione, ab iis removente ſuam malitiam.

Nota ea, quæ dicimus de delectatione moroſâ, cum proportione eſſe applicanda deſideriis malis: nempe 1. eſſe mortalia, vel venialia; prout opus, ad quod terminantur, eſt mortale vel veniale.

2. Eſſe ejuſdem ſpeciei malitiæ cum opere, cujus ſunt deſideria.

3. Cavendum ne ex deſiderio alicujus effectûs, qui ex actione malâ ſequitur, deſiderium feratur in ipſam actionem malam; v. g. ne ex deſiderio prolis, deſideretur ipſa fornicatio, ex quâ illa conſequitur: ne ex deſiderio ſanitatis, deſideretur pollutio &c. ſive expreſsè, ſive implicitè. Et hoc ſenſu ab Innoc. XI damnata eſt hæc propoſitio: *licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirū ei obventura eſt pinguis hæreditas.*

4. Si ſint deſideria conditionata ſub conditione, quæ omnem malitiam ab objecto removeat, non eſt peccatum, ſaltem mortale: v. g. vellem non jejunare in quadrageſimâ, non audire

Sacrum die Feſto &c. ſi eſſet licitum. Si verò conditio malitiam non removeat, eſt peccatum: v. g. ſi non eſſet infernus, vellem furari; ſi non eſſem Religioſus, vellem fornicari &c. intellige, ſi in eo, qui talia cogitat, verè ſit affectus furandi, fornicandi &c. poſitâ tali conditione: Alioqui, ſi ſine ullo præſenti affectu ad iſta, tantùm ſpeculativè judicet, & declaret, quid facturus eſſet, poſitis iſtis conditionibus, non eſſe peccatum.

Q. 5. *Quæ advertentia requiratur ex parte intellectûs, ut delectatio moroſa ſit mortalis?*

R. multiplex hîc diſtingui debet advertentia; alia enim eſt de phyſicâ entitate actûs, alia de ejuſdem bonitate, vel malitiâ. Item alia eſt confuſa, alia diſtincta. Denique alia eſt plena ſeu perfecta, quæ procedit à judicio firmo, & ſui compote; alia ſemiplena, & imperfecta, quæ procedit à non perfectè ſui compote. Hanc explicant Theologi per ordinem ad id, quod contingit in ſemidormientibus, ſemiebriis &c. Sicut enim hi non habent perfectum judicium rationis, nec plenè advertunt ad id, quod faciunt; ita ſæpe accidit, ut quis ob ſubitam, ac vehementem paſſionem, aut diſtractionem ad res alias, non advertat ad malitiam ſui actûs, quantum requiritur ad peccatum mortale; atque ita fieri poteſt, ut delectatio de aliquo objecto illicito, quę aliàs eſſet mortalis, defectu ſufficientis advertentiæ, ſit tantùm venialis. Hinc Theologi in quâcumque materiâ, etiam graviſſimâ, diſtinguunt triplicem motum; nempe motum primò primum, qui ſubitò ante omnem rationis advertentiam inſurgit, & hic non eſt peccatum. Motum ſecundò primum, qui eſt cum aliquâ, ſed imperfectâ advertentiâ; id eſt, ſufficiente quidem ad peccatum veniale, ſed non ad mortale. Motum ple-

nè, & perfectè deliberatum, & hic in materiâ gravi eſt peccatum mortale, nunc ad quæſitum.

R. Ut delectatio moroſa ſit mortalis requiritur ex parte intellectûs plena advertentia malitiæ; cùm enim peccatum mortale ſit graviſſimum malum, quo Deus offenditur uſque ad diſſolutionem amicitiæ, & homo redditur dignus æternæ Gehennæ, dici non debet incurri, niſi ſit perfectè voluntarium; nec poteſt eſſe perfectè voluntarium niſi ſit plena advertentia ad ejus malitiam. Non tamen requiritur, ut ea malitiæ advertentia ſit diſtincta, ſive ut diſtinctè cognoſcatur eſſe peccatum mortale: alioqui enim homo rudis, qui non habet ejuſmodi diſtinctam notitiam malitiæ mortalis, non peccaret mortaliter; ſed ſufficit confuſa advertentia ad illam, vel in ſe, vel in periculo illius, ratione cujus debeat ulterius inquirere de illa: nam, ut alibi diximus, vincibilis ignorantia, vel inadvertentia non excuſat à peccato gravi.

Q. 6. *Quis conſenſus requiratur ex parte voluntatis, ut delectatio moroſa ſit peccatum mortale?*

R. Non requiri conſenſum in actum, ſeu opus externum, ſed ſufficere conſenſum in ipſam delectationem. Patet ex antè dictis.

CAPUT VII.

De Delectatione moroſâ in materiâ venereâ.

Q. 1. *Quis conſenſus ad illam requiratur?*

R. Non requiri conſenſum in opus externum, ſed ſufficere conſenſum in delectationem veneream, ſive in ipſos motus ſenſualitatis.

Duplex autem eſt ejuſmodi conſenſus: alius for-

malis & directus; quando voluntas poſitivè admittit illos motus, & in iis ſibi complacet: alius indirectus, qui contingere poteſt dupliciter; 1. ſi voluntas motus illos naturaliter inſurgentes, poſt advertentiam non reprimat, quando poteſt, & debet reprimere: & hic dicitur conſenſus interpretativus. 2. ſi quis voluntariè aliquid agat, ex quo præviderет tales motus ſecuturos: & hic dicitur conſenſus virtualis, ſive voluntarius in causâ.

Q. 2. *An conſenſus interpretativus ſufficiat, ut delectatio moroſa, & motus ſenſualitatis ſint peccata mortalia?*

Negant Cajet., & multi ex antiquis. Item Navar. Sotus. Lorça. Mœrat. &c. dicentes non eſſe mortale, ſi etiam poſt plenam advertentiam, voluntas ad tales motus habeat ſe merè negativè, ſeu permiſſivè, quamvis poſſet, ſi vellet, illos reprimere; dummodò poſitivè non conſentiat, nec ſit periculum talis conſenſûs.

Affirmant multò communiùs Antoninus, Marſil. Suarez. Vaſq. Valent. Azor. Leſſ. Curiel. Saïrus. Præpoſ. Tann. & alii præſertim recentiores.

R. 1. ad peccatum mortale in hâc materiâ ſufficit conſenſus interpretativus, ſive quòd voluntas ad ejuſmodi inordinatos motus habeat ſe permiſſivè, cùm poſſit illos reprimere.

Prob. quia ex unâ parte motus illi ſunt ex objecto graviter illiciti, cùm juxta omnes ſit mortale illis poſitivè, ſeu formaliter conſentire: & aliunde ex eo, quòd non reprimantur, cùm adſit potentia eos reprimendi, vel ſaltem poſitivè iis reſiſtendi, ſunt voluntarii; nam, ex dictis tract. 1. c. 2. effectus, qui conſequitur ad omiſſionem liberam, cenſetur eſſe voluntarius, quando adeſt potentia, & obligatio illum impediendi. Quòd autem ſit obligatio motibus illis poſitivè

reſiſtendi, & eos, quantum in nobis eſt, reprimendi, agnoſcunt adverſarii, cùm fateantur eſſe veniale, iis non reſiſtere.

Nec dicas inordinatam commotionem appetitûs ſenſitivi non videri malum grave, ſaltem quando naturaliter inſurgit: nam niſi de ſe eſſet malum grave, non eſſet peccatum grave tali commotioni poſitivè conſentire, aut illam ſponte procurare; quod non admittunt adverſarii.

R. 2. Ad hoc, ut conſenſus interpretativus in propoſito ſufficiat ad peccatum mortale, requiritur, ut abſque juſtâ causâ voluntas omittat illos motus reprimere, aut iis poſitivè reſiſtere: nam ſi adſit juſta cauſa non reprimendi, non cenſetur conſenſus, etiam interpretativus, nec eſt peccatum grave. Cauſæ autem excuſantes à peccato in omiſſione repreſſionis, ac reſiſtentiæ poſitivæ in ſimilibus ſolent aſſignari ſequentes.

1. Si ad eos motus reprimendos neceſſe ſit ceſſare ab actione de ſe honeſtâ, v. g. à ſtudio, auditione confeſſionum, colloquio honeſto cum honeſtâ perſonâ alterius ſexûs: dummodo diſpliceant, & abſit periculum conſensûs formalis.

2. Si ex reflexione ſupra ſuos actus, & ſollicitudine eos reprimendi, ſit periculum plurium, & majorum motuum, ut ſæpe accidit: tunc enim præſtat ad eos non attendere, & dum occurrunt, conceptâ eorum diſplicētiâ, animum ad alia diſtrahere.

3. Si homo eâ ſollicitudine nimiùm fatigetur, turbetur, & periculum ineat, ne in ſcrupulos, & ex his in amentiam incidat.

Q. 3. *An ſufficiat conſenſus virtualis, ſeu voluntarius in causâ?*

R. 1. Eſt peccatum grave, abſque cauſâ rationabili ponere actionem, ex quâ, tamquam proximâ diſpoſitione, prævidentur ſecuturi motus inordinati. DD. paſſim. quod etiam verum eſt,

quamvis homo motus illos non intendat, immò proponat comprimere, ſi inſurgant. Tales autem proximæ diſpoſitiones, ſeu cauſæ propinquæ turpes, ac venereæ commotionis ſunt ſequentes: vehemens imaginatio actûs venerei; contactus, & aſpectus valde turpes, præſertim nuditatum in perſonis diverſi ſexûs, quamvis ex ſolâ curioſitate, & non voluptatis causâ exerceatur: item colloquia valde turpia, lectio vel auditio voluntaria rerum valde obſcænarum, & ipſo verborum lenocinio potenter incitantium ad libidinem &c. quæ ſi liberè fiant abſque causâ rationabili, ſunt peccata mortalia, quamvis in illis non intendatur directè delectatio turpis, & motus inſurgentes diſpliceant. Ratio eſt, quia generaliter loquendo, etiam in aliis materiis, ad peccatum mortale ſufficit perfectè voluntarium in causâ; quod quidem tunc habetur, quando abſque ratione ſufficienti ponitur cauſa proxima effectûs graviter illiciti; cùm in genere moris paria ſint, velle cauſam proximam effectûs, & velle effectum ipſum.

Dixi *abſque causâ rationabili* &c. quia ex juſtâ causâ v. g. ex officio, pietate &c. poteſt quis licitè ejuſmodi actiones ponere, etiam cum prævisione delectationis, & motuum carnalium, dummodo non intendantur, nec adſit periculum formalis conſensûs. Item inchoatâ jam actione honeſtâ, non tenetur ob motus, præter intentionem inſurgentes, ab eâ deſiſtere: debet tamen illos, illorumque delectationem reprimere, quantum in ſe eſt, retentâ actione; aut ſi reprimi non poſſint, ſaltem elicere poſitivam illorum diſplicentiam, ſine quâ periculum eſt complacentiæ formalis. Sed de his iterum infrà, ubi de luxuriâ.

R. 2. Non eſt mortale ponere cauſam ejuſmo-

di motuum tantùm remotam, modò non intendatur ipſa delectatio venerea, & abſit periculum formalis conſenſûs: quia cùm motus illi facilè, & frequenter inſurgant naturaliter, morali judicio non cenſentur ſufficienter voluntarii in causâ tam remotâ: alioqui enim deberet homo in humano convictu abſtinere à pleriſque actionibus, etiam honeſtis, & utilibus, ne in motus illos incideret.

Intellige reſponſionem, etſi actio illa, quæ tantùm remotè ad actus venereos diſponit, ſit in ſe mala venialiter: ut aſpectus mulieris curioſus, non valde turpis, lectio curioſa, colloquia aliquantùm, ſed non valde impura &c.

Dices. mortale eſt abſque gravi causâ ponere actionem, ex quâ, etiam ut causâ remotâ, prævidetur ſecuturum homicidium: ergo ſimiliter mortale eſt ſine juſtâ causâ ponere actionem, ex quâ prævidentur ſecuturi motus inordinati tamquam ex causâ remotâ.

R. Nego conſequentiam: quia homicidium eſt malum proximi graviſſimum, & irreparabile, ad quod proinde permittendum, non ſufficit quæcumque utilitas, ſed requiritur neceſſitas, aut cauſa graviſſima. At motus ſenſualitatis, neque ſunt tam grave, & irreparabile malum; & ad illos tanta eſt naturæ proclivitas, ac propenſio, ut, ſi homo graviter obligaretur ad removendas quaſlibet eorum cauſas remotas, ſicut ad removendas cauſas remotas homicidii, abſtinendum eſſet à pleriſque ordinariis actionibus, eſſetque difficillimum, & moraliter impoſſibile, etiam hominibus timoratis, vitare peccata mortalia.

Q. 4. *An delectatio moroſa circa obſcæna, non ſolùm contrahat malitiam ſubſtantiæ operis, circa quod directè verſatur, ſed etiam circumſtantiarum ei annexarum, & mutantium ſpeciem?*

An v. g. ſimplex delectatio moroſa circa con-

jugem alienam, abſque deſiderio operis explendi; habeat in ſe malitiam adulterii, ita ut circumſtantia conjugatæ ſit exprimenda in confeſſione? Similiter an delectatio moroſa circa conſanguineā contrahat malitiam inceſtûs; circa perſonam Deo Sacram, malitiam ſacrilegii? &c.

Nota triplicem hîc diſtingui voluntatis actum circa objectum illicitum. Primus eſt efficax, qui de ſe tendit in objectum reipsâ ponendum: ſecundus eſt deſiderium operis reipsâ ponendi, ſed inefficax, ut ſunt deſideria conditionata &c. 3us. eſt ſimplex delectatio, ſeu complacentia in opere cogitato, abſque deſiderio illius exercendi. Et de hoc procedit quæſtio: nam certum eſt 1um. & 2um. cum tendant in opus, ut reipsâ ponendum, & conſequenter ferantur, ſaltem implicitè, in ea omnia, quæ cognoſcuntur ineſſe tali objecto poſito à parte rei, contrahere omnem malitiam, quam opus ipſum reipsâ habet, ſive ſecundùm ſe, ſive ratione circumſtantiarum ei annexarum.

R. Simplex delectatio venerea circa talia objecta, per ſe loquendo, non contrahit malitiam circumſtantiæ, ſed ſolùm ſubſtantiæ operis, circa quam directè fertur delectatio. Ita Vaſquez, Azor, Saïrus, Coninck, Palao, Oviedus, Mœrat, &c. contra Suar. Lugo, Salas, Bonac, Leſſ. & plures alios. Unde patet utramque ſententiam cenſeri debere probabilem, ut etiam fatentur multi ex adverſariis.

Prob. quia ſimplex ejuſmodi delectatio, cùm non tendat, etiam quoad affectum, in opus reipsâ ponendum, ut ſupponitur; ſed ſit nuda complacentia voluntatis in objecto ſecundùm ſuam ſubſtantiam abſtractam à ſuis circumſtantiis, non amplectitur omnes conditiones objecti poſiti à parte rei; ergo non contrahit earum malitiam, ſed ſolùm malitiam, quæ reperitur in ſubſtantiâ,

&

& ratione formali operis. Declaratur in aliâ materiâ : ſi quis audiens inimicum ſuum eſſe occiſum in templo , de eo homicidio delectetur præcisè ex diſplicentiâ perſonæ , delectatio illa non contrahit ſpecialem malitiam ſacrilegii ex circumſtantiâ loci ſacti , licet homicidium à parte rei poſitum iſtam circumſtantiam includat ; ſed præcisè habet malitiam odii , aut ſimplicis homicidii. Ita in propoſito , cùm in delectatione venereâ circa conjugatam v. g. per ſe loquendo , ſolùm placeat delectabilitas actûs carnalis cum muliere , quatenus pulchrâ , &c. circumſtantia autem conjugatæ non apprehendatur , ut delectabilis , neque ut talis acceptetur à voluntate ; talis delectatio ſolùm contrahit malitiam ſimplicis fornicationis , non adulterii.

Dixi *per ſe loquendo.* Quia fieri poteſt , ut ſimplex delectatio circa conjugatam v. g. contrahat etiam malitiam adulterii exprimendam in confeſſione , ut ſi quis in eo ſpecialiter ſe oblectet , quòd fingat ſe fornicari cum uxore alienâ ; quòd ſuus inimicus occiſus eſſet in templo &c. quo caſu prior contraheret malitiam adulterii ; poſterior ſacrilegii. Verùm regulariter,& per ſe loquendo, delectatio ſimplex præſcindit ab ejuſmodi conditionibus , & circumſtantiis objecti ; quamvis eç cognoſcantur eſſe in objecto.

Ceterùm , qui peccatis iſtis addicti ſunt , plerumque non tantùm conſentiunt in delectationem ſimplicem , ſed etiam in opus ipſum per aliquod deſiderium , etſi inefficax : ideò monent Leſſ. Præpoſ. & alii , in praxi circumſtantias illas ordinariè eſſe in confeſſione exprimendas.

Nota inſuper ; quamvis ſimplices delectationes venereæ , quæ verſantur circa actus luxuriæ naturalis , v. g. circa copulam cum ſolutâ , cum conjugatâ, cum conſanguineâ &c. per ſe loquendo ,

ſolùm contrahant malitiam fornicationis ſimplicis, ut dictum eſt, & conſequenter ſint omnes ejuſdem ſpeciei; delectationes tamen, quamvis ſimplices, circa actus luxuriæ contra naturam, ut ſunt pollutio, ſodomia, beſtialitas, &c. eſſe ſpecie diverſas, & ut tales ſpecialiter in confeſſione exprimendas.

Quòd ſi circumſtantiæ mutantes ſpeciem teneant ſe ex parte operantis; ut ſi is, qui conſentit in moroſam delectationem circa res obſcœnas, ſit Religioſus, ex communi ſenſu DD. & praxi fidelium, debent exprimi in confeſſione; nam in Religioſo v. g. talis delectatio ex eâ parte contrahit malitiam ſacrilegii (& idem eſt de eo, qui fecit votum abſolutum caſtitatis; item de eo, qui ſuſcepit Sacros Ordines &c.) quia per votum caſtitatis non tantùm ſe obſtrinxit ad abſtinendum ab actu carnali, ſed & ab omni affectu, & delectatione venereâ. Similiter conjugatus, qui ſimpliciter admitteret delectationem moroſam circa alienam, in confeſſione dicere deberet ſe eſſe conjugatum; quia, ut notat Lugo, actus internus delectationis circa alienam non eſt ſine actu externo indebito ex fide conjugii, ſcilicet commotione carnis, & ſpirituum generationi ſubſervientium &c.

Q. 5. *An in delectatione venereâ detur parvitas materiæ?*

Hoc eſt, an aliqua delectatio venerea, etiam ſuppoſitâ plenâ advertentiâ, & conſenſu, poſſit eſſe tantùm venialis ob parvitatem materiæ, ſicut in aliis materiis v. g. in furto, exceſſu in potu &c.

Dixi *etiam ſuppoſitâ plenâ advertentiâ* &c. quia certum eſt in hâc æquè, ac in aliis materiis, poſſe dari peccatum tantùm veniale, defectu ſufficientis advertentiæ, vel conſensûs.

R. In delectatione venereâ non dari parvitatem materiæ. Ita cum aliis omnes Societatis noſtræ Scriptores, qui hanc materiam tractarunt, poſt decretum P. Claudii Aquavivæ Generalis hâc de re editum 24. Aprilis 1612. quo, in virtute Sanctæ obedientiæ, noſtris omnibus prohibetur, *ne quis in poſterum, publicè, vel privatim, ſententiam oppoſitam, non modò ut veram, vel probabilem; ſed ne, ut tolerabilem quidem, ullâ ratione doceat, aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundùm illam conſilium cuiquam det.* cujus decreti tenorem refert Tannerus tomo 2. diſp. 4. q. 8. n. 109.

Prob: 1. quia teſte Hippocrate, Galeno &c. in omni delectatione venereâ fit quædam reſolutio ſeminis, ejuſque deductio ad partes obſcœnas; ac proinde eſt quędam pollutio inchoata, ſeu inchoatus actus emiſſionis ſeminis: qui actus cùm ſit extra ſtatum conjugalem graviter illicitus, ſemper eſt graviter illicitum, ſecluſo ſtatu conjugali, ejuſmodi delectationem procurare, aut admittere.

Prob. 2. Quia, cùm difficillimum ſit, & moraliter impoſſibile, in re tam lubricâ diſtinguere gravitatem, & levitatem materiæ; & ob ſummam naturę corruptæ ad talia propenſionem, non poſſit quis in certâ delectationis parvitate ſiſtere, quin ſaltem proximo periculo ſe exponat ulteriùs progrediendi ad delectationem majorem, ſufficientem ad peccatum mortale, non poteſt in praxi non eſſe grave peccatum, ejuſmodi delectationem procurare, aut admittere.

Confir. ex decreto Alexandri 7. edito 23. martii 1666. quo damnatur inter alias hæc propoſitio: *eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſûs ulterioris, & pollutionis.*

Dices : in aliis materiis , ut in furto , exceſſu in potu &c. datur parvitas materię : quidni etiam hîc ?

R. 1. Quia in aliis materiis non eſt tale periculum abuſûs , quale eſt hîc , cùm in illis non ſit adeò difficilè materiam gravem à levi ſecernere.

2. Quia commotio venerea de ſe ordinatur ad expulſionem ſeminis , & eſt inchbata pollutio , ut dictum eſt , in quâ ſecundùm omnes non datur parvitas materiæ : at in aliis materiis , furtum unius aſſis v. g. de ſe non ordinatur ad furtum grave ; neque potus cum exceſſu levi eſſentialiter ordinatur ad exceſſum gravem , v. g. ebrietatem.

Nota contra Tannerum, quamvis in decreto P. Claudii ſolùm expreſsè agatur de delectatione venereâ deliberatè quæſitâ , illud tamen etiam eſſe intelligendum de delectatione ultrò ſe offerente ; cùm utriuſque ſit par ratio : nam ſi graviter illicitum eſt levem delectationem deliberatè quærere , ſequitur quòd ipſa per ſe ſit objectum graviter malum ; & conſequenter grave peccatum eſt illam ultrò ſe offerentem acceptare.

CAPUT VIII.

De Ignorantiâ invincibili.

Nonnulli, etiam hoc tempore, licet admittant dari in multis hominibus ignorantiam invincibilem juris divini poſitivi, ſeu præceptorum divinorum, negant tamen ullam dari ignorantiam juris naturæ, ſeu præceptorum naturalium: ex quo inferunt neminem excuſari à peccato, ob ignorantiam juris naturæ; eo quòd omnis ejuſmodi ignorantia ſit vincibilis, ſeu culpabilis, quam utique quiſque tollere poſſit, ac debeat.

Pro hâc ſententiâ citantur multi Authores antiqui, ut videre eſt apud Sinnichium in Saule lib. 1. cap. 96. imò & nonnulli apud Vaſq. 1. 2. diſp. 120.c. 1. & diſp.122. c. 1. etiam negarunt dari in ullo rationis uſum habente ignorantiam invincibilem juris divini poſitivi, ſaltem ad ſalutem neceſſarii, v g. myſteriorum fidei, ſine quorum notitiâ nemo ſalvari poteſt, eodem nixi fundamento, ex quo negarunt dari ignorantiam invincibilem juris naturæ; nempe quòd *facienti quod in ſe eſt, Deus non deneget gratiam*, & neceſſaria ad ſalutem, ex quo videtur ſequi eum, qui ignorat ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, non feciſſe quod in ſe eſt, hoc eſt, quod potuit & debuit, & conſequenter earum rerum ignorantiam ipſi imputandam eſſe, adeòque eſſe vincibilem.

Q. 1. *An in quibuſdam rationis uſum habentibus detur ignorantia invincibilis juris naturæ?*

R. 1. Non datur in homine habente uſum ra-

tionis ignorantia invincibilis totius legis naturæ, ſic ut invincibiliter ignoret etiam ipſa prima, & univerſaliſſima principia, qualia ſunt, malum eſſe fugiendum, bonum eſſe amplectendum &c.

Prob. quia ejuſmodi principia ſunt per ſe, & ex terminis nota. Unde ſicut paſſim addmittitur dari quædam prima principia metaphyſica, quæ quemlibet intellectum de ſe cogitantem neceſſitant ad ſui aſſenſum, & ideò dicuntur primò nota, ut quidlibet eſt, vel non eſt; omne totum eſt majus ſuâ parte &c. ita dantur & moralia. Hinc Hieron. Epiſt ad Algaſiam. q. 8. *nullus hominum eſt, qui hanc legem neſciat: quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.*

Idem dicendum de præceptis, aut concluſionibus, quæ ex principiis illis per ſe notis immediatè, & clarè deducuntur; quæ proinde vel non poſſunt abſolutè ignorari, vel non ſine remorſu conſcientiæ, adeóque non invincibiliter.

R. 2. Datur tamen in aliquibus ignorantia invincibilis aliquorum præceptorũ naturalium, quæ ex naturæ principiis mediatè tantùm deducuntur, & difficiliùs penetrari poſſunt, ut de vitandâ uſurâ.

Prob. quia eo ipſo, quòd non niſi obſcurè, & per longum diſcurſum deducuntur ex principiis lumine naturæ primò notis, facilè contingit hominem, præſertim rudem, talium objectorum malitiam non advertere, aut ei occurrere rationes de eâ dubitandi.

Confirm. quia alioqui Doctores. Conſiliarii, Confeſſarii &c. qui ex errore aliquid docuiſſent, aut reſolviſſent, aut in libris edidiſſent contra jus naturæ, vincibiliter erraſſent, adeóque formaliter peccaſſent. Quod etiam dici poſſet de quibuſdam ſanctis Eccleſiæ Doctoribus.

Q. 2. *An detur ignorantia invincibilis juris divini poſitivi, etiam eorum, quæ ſunt ſcitu neceſſaria ad ſalutem?*

R. Affirm. eſt communiſſima contra quoſdam antiquos.

Prob. 1ª. pars : quia ſunt quædam præcepta Divina v. g. de Baptiſmo ſuſcipiendo, de credendis fidei myſteriis &c. de quibus homini inter barbaros enutrito, qui de lege Divinâ nihil audivit, non facilè incidet ſuſpicio ſe ad illa obligari : quod tamen neceſſarium eſt, ut talis ignorantia ſit vincibilis, ſeu poſſit ei imputari ad peccatum. Confirmari poteſt eodem modo, quo 2ª. reſponſio ad præcedentem quæſtionem.

Prob. 2ª. pars : quia ex nullo capite ſufficienter probatur Deum omni homini, etiam non peccanti, qui ſive ex viribus naturæ, ſive gratiæ, facit quod in ſe eſt, ſpecialiter aſſiſtere ad ſemper cognoſcenda ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem : nam ex eo, quòd Deus, etiam poſt lapſum Adæ, ſeriò velit omnes homines ſalvos fieri, non plus conficitur, quàm quòd Deus, ſaltem aliquando, v. g. ſub finem vitæ, ei infundat, aut alio modo procuret notitiam rerum neceſſariarum ad ſalutem ; cum quo ſtat, quòd per plures annos poſſit illum relinquere in ignorantiâ illorum invincibili.

Dices : dantur omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem : ergo datur omnibus notitia eorum, quæ neceſſaria ſunt ad eam conſequendam : ergo non poteſt dari eorum ignorantia invincibilis.

R. Ant. verum eſſe de auxiliis remotè ſufficientibus : ex quo tantùm habetur, quòd, ſpectatis omnibus tam remotè, quàm proximè conceſſis à Deo auxiliis, quiſque potuerit habere notitiam rerum neceſſariarum ad ſalutem, niſi ab ipſo, aut aliis, v. g. ejus progenitoribus, fuiſſent poſita impedimenta, quæ Deus juſtas ob cauſas non vult tollere, ut explicatur primâ parte, ubi ex profeſſo agitur de Dei voluntate ſalvandi om-

nes. Tales ſunt, qui inter barbaros educati, aliquanto tempore poſt acceptum rationis uſum, moriuntur, vel incidunt in amentiam, priuſquam illis naturaliter in mentem venire potuerit cogitatio de Deo, vel ſaltem de omnibus, quæ ſcitu neceſſaria ſunt ad ſalutem. Itaque per ignorantiam invincibilem hîc intelligimus ignorantiam involuntariam, & non imputabilem ad culpam. Alioqui ſi quis per eam intelligi velit ignorantiam, quæ abſolutè tolli non poterat, etiam ſpectatis auxiliis remotè, & remotiſſimè concurrentibus, verum eſt hoc ſenſu ignorantiam ſcitu neceſſariorum ad ſalutem, non poſſe eſſe invincibilem; quia impedimenta omnia tolli potuerunt potentiâ illâ remotâ.

Quòd autem ignorantia invincibilis, de quâ eſt quæſtio, excuſet à peccato, patet ex alibi dictis de voluntario & libero, ubi ex Auguſt. oſtenſum eſt contra Lutherum, Calvinum &c. peccatum uſque adeò eſſe voluntarium, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: unde cùm ignorantia invincibilis tollat omne voluntarium, tam mediatum, quàm immediatum ejus, quod ignoratur; conſequens eſt, quòd excuſet à peccato. Hinc S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. ſic dicit: *ſi infidelitas accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt: qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem propter infidelitatis peccatum.* Ex quibus verbis clarum eſt S. Thomam admiſiſſe ignorantiam invincibilem eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & eam excuſare à peccato.

Vide plura de his apud P. Platellium in ſynopſi. Parte 2. n. 254. & ſequentibus, ubi fusè, & eru-

ditè demonſtrat in quibuſdam uſum rationis habentibus dari ignorantiam invincibilem juris poſitivi Divini; item juris naturæ, quoad concluſiones, ex principiis moralibus mediatè tantùm, & obſcurè deductas, & ejuſmodi ignorantiam excuſare à peccato.

Hactenus de peccatis in genere: de iis in particulari, ſeu ſpecificè ſumptis, tam iis, quæ ſunt contra præcepta decalogi, aut Eccleſiæ, quàm iis, quæ opponuntur virtutibus, ſeu Theologicis, ſeu moralibus, commodiùs dicetur in tractatibus, ad quos illa pertinent.

TRACTATUS IV.

DE LEGIBUS, SEU PRÆCEPTIS.

LEx eſt *quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Ita S. Tho. & Theologi paſſim. Ex quo ſignificatur 1. legem eſſe actum rationis præcipientis quid faciendum, aut omittendum ſit. 2. finem legis, quem ſpectare debet legiſlator, eſſe bonum commune, adeóque eam debere imponi communitati, in quo differt à ſimplici præcepto, quod poteſt eſſe reſpectu paucarum, aut etiam ſingularium perſonarum. 3. Legiſlatorem eſſe Principem, aut alium, qui curam communitatis habet. 4. Legem, ut obliget, debere promulgari, de quo infrà.

Dividitur lex generaliter in æternam, & temporalem. Lex æterna ſecundùm Aug. & alios, eſt *ratio, & voluntas Dei, quæ rerum ordinem ſervari jubet, perturbari vetat.* Lex temporalis eſt, quæ fertur in tempore, ſive à Deo, ſive ab homine. Alia eſt naturalis, quæ inſita creaturæ rationali, ſeclusâ omni externâ conſtitutione, dictat

unicuique quid faciendum, fugiendúmve ſit. Alia poſitiva, quæ ab aliquo externo legiſlatore poſita eſt. Subdividitur in Divinam, & humanam, id eſt Divinâ, vel humanâ poteſtate conſtitutam. Divina in veterem, &' novam, ſeu Moſaïcam, & Evangelicam. Humana in Eccleſiaſticam ſeu canonicam, & civilem ſeu politicam, de quibus in ſequentibus.

CAPUT PRIMUM.

De Lege æternâ, & naturali.

Q. 1. *Quid ſtrictè, & propriè ſit lex æterna?*

R. Quamvis definitio legis æternæ jam allata ex Aug. & hæc altera, quæ eſt S. Tho. *ratio Divinæ ſapientiæ ſecundùm quod eſt directiva omnium actuum, & motionum*: ſumptæ generaliter extendantur etiam ad irrationalia, & inanimata, ad quæ etiam extenditur lex æterna latiùs ſumpta, ut patet ex illo Proverb. 8. *legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos*: propriè tamen & ſtrictè, lex ſolùm ſe extendit ad creaturas intellectuales, quæ ſolæ ſunt obligationis, & cõſequenter legis capaces.

Itaque lex æterna, propriè, & ſtrictè, eſt dictamen æternum Divinæ rationis de eo, quod faciendum eſt, aut omittendum à creaturâ rationali, ut moveatur, & tendat ad finem ſuum. Tales ſunt Divini conceptus de his, & ſimilibus veritatibus practicis: quòd Deus ſit colendus; parentes honorandi; fugiendum Dei, & proximi odium.

Etſi autem lex ęterna, quà talis, nonnihil deficiat à naturâ legis ſtrictè ſumptæ, quia lex æterna ut ſic, nemini reipsâ lata eſt ab æterno],

nec ab æterno promulgata : tamen æterna Dei ordinatio, quâ Deus ex voluntate obligandi creaturas rationales ab æterno conſtituit, ac ſuo modo dixit hoc, aut illud faciendum, aut non faciendum à creaturis intellectualibus, pro ut illis ſuo tempore intimata, habet propriè rationem legis : ſed tunc non ſumitur lex æterna præcisè ſecundùm ſe, ſed quatenus tranſit in naturalem, vel poſitivam.

Q. 2. *Quid ſit lex naturalis, & in quo præcisè conſiſtat?*

R. Lex naturalis formaliter, & quoad conceptum, eſt quæ naturæ rationali inſita, illi præſcribit quid faciendum ſit, aut fugiendum, ut antè dictum eſt. Et in hoc conveniunt DD. ſed difficultas eſt. in quo illa præcisè conſiſtat : volunt aliqui conſiſtere formaliter in naturâ rationali ſecundùm ſe, ſeu, ut eſt prima regula bonitatis, & malitiæ actuum humanorum. Ita Vaſq. Alii in actualibus dictaminibus rationis, quæ dictant aliquid faciendum eſſe, aut omittendum. Ita Thomiſtæ. Granad. Malder. &c. Alii denique in lumine naturali, quatenus elicitivo iſtorum dictaminum. Ita Alenſis. Bonav. & alii apud Suar.

Hæc poſtrema ſententia magis placet, videturque conformior Scripturæ, pſal. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine.* Et Aug. in pſal. 57. *veritas manu formata in cordibus noſtris ſcripſit : quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris : hoc ignorare nemo permiſſus eſt.*

Denique rationi, quia lex eſt quid permanens; dictamina autem rationis ſunt quid tranſiens. Hinc lex naturalis dicitur à Deo nobis imprimi, nobis concreari, inſeri naturæ noſtræ rationali &c. quæ magis propriè competunt lumini rationis, quàm ejus dictaminibus, cùm hæc ſint actus tranſeuntes, non nobis concreati, aut à Deo

impreſſi, ſed à nobis ipſis vitaliter producti. Ceterùm, utrumvis dicatur, parum refert ad noſtrum inſtitutum.

Q. 3. *An Deus diſpenſare poſſit in lege naturæ?*

R. 1. Diſpenſare non poteſt directè, & propriè in ullis naturæ præceptis.

Prob. Quia Deus non poteſt facere, ut quod eſt intrinſecè malum, nullâ factâ mutatione in re, aut ejus circumſtantiis, deſinat eſſe malum: atqui quod eſt oppoſitum ei, quod lex naturæ præſcribit, ex ſuis circumſtantiis eſt intrinſecè malum, & difforme rationi: ergo Deus non poteſt facere, ut ſtantibus iiſdem circumſtantiis, ſit licitum & honeſtum: & conſequenter non poteſt propriè, & directè diſpenſare in lege naturæ.

R. 2. Poteſt tamen in multis naturæ præceptis diſpenſare indirectè, ſed non in omnibus.

Prob. 1ª. Pars quia ejuſmodi indirecta diſpenſatio fit, cùm per conſenſum ſuperioris, reſpectu alicujus in particulari, ea inducitur mutatio in legis materiam, aut circumſtantias, ut illius reſpectu res, quæ alioqui eſſet lege naturæ præcepta, aut vetita, deſinat eſſe materia legis, ac proinde reſpectu illius deſinat eſſe obligatio: hoc autem Deus poteſt in multis naturę præceptis: nam tamquam ſupremus omnium Dominus, poteſt v. g. alicui tribuere jus uſurpandi bona aliena; interficiendi innocentem &c. Et ita efficere, ut hæc præcepta, *non furaberis*, *non occides* &c. ipſum non obligent. Hoc modo diſpenſavit Deus in pręcepto non furandi cum Iſraëlitis auferentibus vaſa Ægyptiorum. Exod. 12. cum Abrahamo in præcepto non occidendi, quando ipſi imperavit immolationem filii innocentis. Gen. 22. cum Judæis, quibus facultatem dedit fœnerandi alienis: *non fœnerabis fratri tuo, ſed alieno*, Deuteron. 23.

Pr. 2ª. Pars. Quia ſunt quidam actus lege naturæ prohibiti, ita ex objecto ſuo intrinſecè mali, ut nullâ conditione, aut circumſtantiâ honeſtari poſſint, & reddi liciti, ut odium Dei, blaſphemia &c. quibus etiam annumeratur mendacium, quod ita eſt intrinſecè malum, ut ex nullâ circumſtantiâ honeſtari poſſit, & extrahi extra materiam legis naturalis, illud prohibentis.

Poteſt Pontifex Dei nomine diſpenſare in votis, juramentis, &c. non directè, ſive ſic, ut, manente voto, ceſſet obligatio, ſed indirectè tollendo, & remittendo votum. Sic poteſt homo promiſſionem ſibi factam remittere, & indirectè facere, ut non obliget.

CAPUT II.

De Lege humanâ ſecundùm ſe.

Q. 1. *An ſit in hominibus poteſtas condendi leges, etiam obligatorias in conſcientiâ?*

R. Affirm. Prob. de Principibus Eccleſiaſticis ex act. 5. ubi Apoſtoli hanc in ſe poteſtatem agnoſcunt, dum gentilibus ad fidem converſis ſic loquuntur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato.* De Principibus autem ſæcularibus, ex Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Quòd autem etiam obligatorias in conſcientiâ, ex illo ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à Deo; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

Q. 2. *An etiam leges Civiles poſſint obligare ſub mortali?*

R. Affirm. Ut patet ex loco ad Rom. 13 jam citato, ubi Apoſtolus loquitur præſertim de poteſtate civili. Et verò cùm leges humanæ, etiam civiles, habeant vim obligandi in conſcientiâ, ut oſtenſum eſt, obligare debent juxta gravitatem, & levitatem materiæ; & conſequenter, ſi materia ſit gravis, obligant graviter, & ſub mortali.

Nec refert, quòd principes ſæculares, ſaltem infideles, non intendant obligare ſub mortali: quia ad eam obligationem inducendam, ſatis eſt, quòd intendant uti ſuâ poteſtate legiſlativâ: cùm enim ea poteſtas ſit à Deo, & Deus prohibeat ſubditos ei reſiſtere, ſuppoſitâ gravitate materiæ, etiam ipſis neſcientibus, oritur obligatio ſub mortali.

Dices: ſic non erit differentia inter præcepta divina, & humana.

R. Id quidem verum eſſe, quantum ad inducendam obligationem in conſcientiâ, differunt tamen in eo, quòd divina ſint immediatè à Deo, humana autem ſint immediatè ab homine, cujus tamen poteſtas vim habet, & authoritatem derivatam à ſuperiori Dei poteſtate.

Q. 3. *Penes quos ſit poteſtas condendi leges?*

R. 1. Quoad Prælatos Eccleſiæ, & leges Eccleſiaſticas obſervanda ſunt ſequentia.

1. Summus Pontifex poteſt leges condere pro totâ Eccleſiâ.

2. Epiſcopi pro ſuâ diœceſi, juxta illud: *quod poteſt Papa in totâ Eccleſiâ, hoc poteſt Epiſcopus in ſuâ diœceſi*: cum hoc tamen diſcrimine, quod id non poſſint Epiſcopi, niſi cum dependentiâ, & ſubordinatione ad Pontificem, qui hanc poteſtatem juſtis de cauſis poteſt reſtringere: Item non poſſint quidquam ſtatuere contra jus com-

mune, aut in materiâ Pontifici reſervatâ. Poſſunt tamen de facto ſtatuta, aut leges perpetuas condere, velut jure ſuo, & abſque ſpeciali approbatione, aut confirmatione Pontificis.

3. Eamdem poteſtatem habent Legati Apoſtolici, ſive à latere, ſive alii, ut Nuntii in terminis ſuæ legationis, vel nuntiaturæ. Item qui juriſdictionem habent, quaſi Epiſcopalem, ut Cardinales in ſuis titulis, & nonnulli Abbates in loco ſuæ juriſdictionis, niſi obſtet ſpecialis prohibitio, exceptio, vel præſcriptio.

4. Patriarchæ, & Archiepiſcopi extrà propriam Diœceſim nihil poſſunt in ſuis provinciis, niſi quod ſpeciali jure, aut preſcriptâ conſuetudine eis conceſſum eſt. Cap. *duo ſimul*, de officio judicis ordinarii. Iidem in ſynodis nationalibus, vel provincialibus non præſident ut ſuperiores ſtrictè, ſed ut Decanus in capitulo, adeoque non poſſunt per ſe ferre leges nationi, vel provinciæ communes, ſed tantùm cum conſenſu aliorum Diœceſanorum.

5. Præpoſiti Generales Religioſorum Ordinum non habent eo ipſo poteſtatem legiſlativam, ſed ſolùm per conceſſionem expreſſam Pontificis, quæ ordinariè non datur, quamvis poteſtatem habeant ad imperandum, judicandum, puniendum &c. juxta leges Ordinis. Multo minùs hæc poteſtas conceditur fœminis v. g. Abbatiſſis, quibus nulla competit juriſdictio Eccleſiaſtica propriè dicta, ſed ſolùm aliquis juriſdictionis uſus committi poteſt à Prælatis, quibus ſubſunt. Vide de his plura apud Suar. Layman. Præpos. Baldellum. &c.

R. 2. Quoad congregationes, aut communitates.

1. Concilium generale poteſt ferre leges pro totâ Eccleſiâ.

2. Concilia

2. Concilia nationalia, provincialia, & ſynodalia legitimè congregata poſſunt ferre leges pro ſibi ſubditis reſpectivè; neque ad hoc egent Pontificis confirmatione.

3. Collegium Cardinalium & Capitula, ſede non vacante, nullam habent juriſdictionem ordinariam. Unde nec poſſunt veras leges condere. Poſſunt tamen ad commune bonum capituli, in rebus quibuſdam levioribus, aliqua ſtatuta condere, quæ obligent ex compromiſſo, vel juramento. Quod etiam verum eſt de aliis inferioribus ſacris cœtibus v. g. confraternitatibus, ſodalitatibus &c. Sede autem Romanâ vacante Collegium Cardinalium habet quidem poteſtatem ſtatuendi, quæ ad novi Pontificis electionem, & præſentes Eccleſiæ neceſſitates faciunt; non tamen condendi leges perpetuas. An autem capitulum Cathedrale, ſede vacante, poſſit condere leges pro totâ diœceſi, quæ ſaltem obligent, donec ab Epiſcopo revocentur, res eſt controverſa, aliis affirmantibus, negantibus aliis. Vide Salas.

4. Ordines Religioſi virorum poteſtatem habent legiſlativam propriè dictam; non tamen præcisè vi ſuæ approbationis, ſed ex conceſſione expreſsâ Papæ, quæ ordinariè illis datur.

Dixi *ordines virorum*, quia Ordo Religioſus fœminarum æquè videtur eſſe incapax juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quàm earum ſingulæ; adeóque non poſſe ferre leges propriè dictas; ſed tantùm conventionales, & obligantes vi voti obedientiæ. Vide S. Th. in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. Item Baldellum &c.

R. 3. Quoad leges civiles, poteſt eas ferre Imperator, Rex, & quivis ſupremus Princeps, & Reſpublica libera, quæ ſuperiorem non agnoſcit. Alii autem nonniſi ex eorum conceſſione. Quoad modum tamen illas ferendi, ſpectanda eſt conſue-

tudo propria cujuſque regni : quia fieri poteſt, ut Princeps ex ipsâ Regni inſtitutione, vel aliter, poteſtatem ſuam utcumque reſtrictam habeat, putà, ut non poſſit ferre legem extra Regni comitia &c.

Nota poteſtatem legiſlativam Imperatoris non ſe extendere ultra terras illi ſubditas; neque hoc ſenſu accipiendum eſſe, quod dicit Bartholus, Imperatorem eſſe orbis Dominum. Unde leges Cæſareæ in tantum obligant Provincias, in quantum ab eis, vel earum Principibus ſunt receptæ.

CAPUT III.

De materiâ Legis humanæ.

Q. 1. *An, quando lege humanâ præcipitur actus alicujus virtutis, v. g. Temperantiæ, Religionis &c. faciens contra legem, non ſolùm peccet contra obedientiam, ſed etiam contra illam virtutem, cujus actus præcipitur; putà contra Temperantiam, Religionem &c.*

R. Affirm. Prob. quia actus cujuſque virtutis eſt ordinabilis ad bonum commune, & ut tàlis præcipi poteſt humanâ lege, ut habet S. Tho. q. 96. art. 3. ergo ſubditus poteſt obligari ad actum ſpecialis virtutis ut talem, & conſequenter peccare contra illam virtutem, ſi faciat contra legem.

Hinc qui plura Eccleſiæ præcepta violaſſet, v. g. non audiviſſet Sacrum die Feſto; non jejunaſſet in quadrageſimâ; non eſſet confeſſus ſemel in anno &c. non ſatisfaceret dicendo in confeſſione, ſe ter peccaſſe mortaliter contra præceptum Eccleſiæ, ſed exprimere deberet diverſas ſpecies pecca-

torum, prout opponuntur diverſis virtutibus, quibus ſpecialiter repugnat præcepti tranſgreſſio.

Ut autem dignoſcatur, cui virtuti ſpecialiter repugnet præcepti tranſgreſſio, non tam attendi debet materia actûs ſecundùm ſe, aut ex objecto proprio, quàm ex motivo legis, aut ratione ſub quâ actus præcipitur, aut prohibetur à lege. Hinc quamvis homicidium, aut furtum factum in templo, pertineant ſecundùm ſe ad materiam juſtitiæ, tamen quatenus ſunt contra præceptum Eccleſiaſticum, ſunt peccata ſacrilegii, & contra Religionem; quia ſcilicet ſpecialiter prohibentur ab Eccleſiâ ex motivo Religionis, ſive intuitu reverentiæ Deo debitæ. Quòd ſi idem actus præcipiatur ſub duplici motivo, uno intrinſeco, altero extrinſeco, cenſeri debet præcipi, aut prohiberi ſub ratione intrinſecâ, & ab eâ peti debet malitia tranſgreſſionis. Hinc ſi jejunium v. g. præcipiatur ſub motivo Temperantiæ, qualiter præcipi ſolet ab Eccleſiâ; & præſcribatur exercendum in vigiliâ alicujus Sancti, ad majorem Feſti celebritatem & pietatem; is qui non jejunat, non propriè peccat contra reverentiam Deo, aut Sanctis debitam; quia, quod præcipitur, eſt actus Temperantiæ ut ſic; ita ut hæc ſit ratio intrinſeca, aut motivum ſub quo; cultus autem Feſti ſit finis extrinſecus, & non tam motivum ſub quo, quàm propter quod.

Quando autem res præcepta aut prohibita, omnibus ſpectatis, eſt indifferens, tranſgreſſio ſolùm eſt peccatum inobedientiæ; cùm ſupponatur ex ſuis circumſtantiis nulli alteri virtuti repugnare. Exemplum affert Suarez in lege Eccleſiaſticâ vetante jejunium die Dominico, quod eſt de ſe omninò indifferens, quamvis enim hoc ipſum ſtatutum ſit ob finem aliquem honeſtum, v. g. ut magis recedatur à moribus quorumdam hæretico-

rum ; tamen finis ille videtur ſolùm eſſe extrinſecus. Idem apparet in caſu, quo ſuperior aliquid præcipit omninò indifferens, præcisè ad experiendam ſubditi obedientiam. Idem putat Salas dicendum eſſe, quando præceptum reſpicit diverſos fines pertinentes ad varias virtutes, ut ſi Religioſo, inquit, prohibeatur exitus à Monaſterio propter periculum fornicationis, homicidii, furti &c. quia cùm durum ſit dicerè tranſgreſſionem talis præcepti habere tot malitias ſpecie diſtinctas, quot ſunt fines legis, neque ſit major ratio de unâ quàm de aliâ, videtur talis actus ſolùm repugnare obedientiæ. Ita ille diſp. 9. ſect. 4. in fine.

Q. 2. *An diverſitas præceptorum inducat diverſitatem peccatorum?*

R, 1. Si diverſæ leges eundem actum præcipiant, aut prohibeant ſub eâdem ratione formali, per earum tranſgreſſionem non fiunt diverſa ſpecie peccata.

Prob. Quia talis tranſgreſſio non repugnat niſi uni, & eidem virtuti.

R. 2. Ob contrariam rationem, ſi diverſæ leges eundem actum præcipiant, aut prohibeant ſub diversâ ratione formali, ſive ex diverſo motivo intrinſeco, earum tranſgreſſio continebit diverſam ſpecie malitiam exprimendam in confeſſione. Hinc homicidium commiſſum in templo, fornicatio contra votum, furtum rei ſacræ &c. quæ à lege naturali & Eccleſiaſticâ ſub diversâ ratione formali prohibentur, contrahunt duplicem ſpecie malitiam, unam v. g. contra juſtitiam, alteram contra Religionem.

Q. 3 *An ſaltem quando duæ leges eundem actum præcipiunt, aut prohibent ſub eâdem ratione formali, habeatur diverſitas numerica peccatorum?*

V. G. Si quis non jejunet in Vigiliâ Sancti

Matthæi incidente in 4. tempora, an committat duplex peccatum ?

R. Iuxta communiorem negativè, ſed eſſe unicum peccatum. Ratio eſt, quia plura præcepta ejuſdem rationis in eundem actum concurrentia, non reputantur moraliter, niſi ut unum pluries repetitum. Alioqui enim uſura v. g. quæ prohibita eſt jure naturali, divino poſitivo, & humano, tum Civili, tum Eccleſiaſtico, eſſet peccatum numero quadruplex, quod non videtur dicendum. Oppoſitum tamen ſentiunt Navar, Lopez, Rodriguez apud Granad. qui eorum ſententiam dicit eſſe valdè probabilem, & fortè ſpeculativè veram.

Q. 4. An lex humana poſſit directè præcipere & prohibere actus merè internos ?

R. Non eſt dubium, quin Chriſtus potuerit, ſi voluiſſet, Eccleſiæ conferre poteſtatem obligandi ad actus merè internos, Deo tranſgreſſionum merè internarum cognitionem, & punitionem ſibi reſervante : dicendum tamen cum communiori, contra quoſdam apud Suar. Salas, Amicum &c. illam de facto non contuliſſe, cùm ex nullo capite ſufficienter oſtendi poſſit id feciſſe; & oppoſitum ſit conformius naturæ rerum; nam, ut ait S. Tho. non eſt connaturale, nec conforme poteſtati legiſlativæ, legem ferre de iis, de quibus non poteſt homo judicare, nec cognoſcere. Deinde poteſtas legiſlativa Eccleſiæ propriè & directè ordinatur ad externum & commune Eccleſiæ regimen, ad quod propriè & per ſe non pertinent actus merè interni, ſed potiùs ad privatam cujuſque perfectionem & ſalutem : ergo dici non debet ſe extendere ad actus merè internos, ſaltem directè & immediatè. Quòd ſi id non poſſit lex Eccleſiaſtica, multò minùs lex Civilis.

Itaque quando Eccleſia cap. *dolentes* de celebra-

tione miſſæ, præcipit, ut officium *ſtudioſè pariter & devotè* celebretur, non præcipit devotionem internam, ſaltem directè, ſed externam conſiſtentem in eo, quòd reverenter & abſque occupatione externâ, quæ devotionem internam impediat, recitetur.

Quòd ſi in quibuſdam Religionibus ſubinde præcipiantur actus interni, v. g. oratio mentalis &c. id non oritur ex conditione poteſtatis legiſlativæ præcisè, ſed ex eo, quòd Religioſi per votum obedientię ad id ſe obligaverint.

Quando Eccleſia obligat ſuſcipientes majores ordines ad votum caſtitatis, quod eſt actus internus, non propriè præcipit, ſaltem directè, iſtud votum, ſed ſolùm declarat ſe nolle eos ordines conferre, niſi ordinandi ad illud votum ſe obligent.

Q. 5. *An Eccleſia poſſit, ſaltem indirectè, & concomitanter præcipere actus internos?*

R. 1. Poteſt Eccleſia, imò & quivis ſuperior, pręcipiens actum externum, indirectè præcipere actus internos, qui neceſſarii ſunt, ut actus externus fiat liberè, & humano modo, v. g. voluntatem internam ponendi talem actum. Cùm enim humana poteſtas legiſlativa ſit eſſentialiter directiva hominis quâ hominis, poteſt præcipere, & de facto præcipit actiones humanas quâ humanas, & liberas, & conſequenter actus internos, qui neceſſarii ſunt ad actiones humanas quâ tales.

R. 2. Probabilius eſt Eccleſiàm poſſe concomitanter & indirectè præcipere actum internum, qui neceſſarius eſt ut actus externus conſtituatur moraliter in ſuâ ſpecie. Ita DD. communiſſimè contra Durand. Palud. Silveſt. Vaſq. Amic. &c.

Prob. Quia Eccleſia poteſt præcipere verum actũ Religionis externum, putà, veram orationem ex-

ternam. Item poteſt præcipere verum votum externum, verum contractum &c. Ergo poteſt concomitanter præcipere intentionem laudandi Deum, voluntatem ſe obligandi &c. quæ eſſentialiter requiruntur ad veram orationem, verum votum, verum contractum &c.

Confirm. quia ſicut Eccleſia poteſt præcipere actiones humanas quâ humanas, & ita indirectè obligare ad habendam voluntatem illas exercendi, ſine quâ non eſſent liberę, nec humanæ; ita poteſt præcipere actus externos morales quâ tales in ſuâ ſpecie morali, v. g. poteſt præcipere ſacerdoti ut verè ſacrificet, abſolvat, baptizet, &c. fidelibus, ut verè Sacramentaliter confiteantur, orent, voveant, jurent &c. Et verò niſi id poſſet Ecceleſia, poteſtas ejus legiſlativa eſſet prorſus inutilis ad rectam gubernationem, & publicam utilitatem. Inde enim ſequeretur eum, qui v. g. ſacrificio intereſſet cum externâ quidem reverentiâ ſicut alii, ſed animo irridendi myſteria ſacra, aut alia ſcelera perpetrandi, Eccleſię præcepto ſatisfacere: item præcepto confeſſionis annuæ ſatisfacere eum, qui ſacrilegè confiteretur abſque ullo interno dolore & propoſito non peccandi de cętero. Quod eſt contra decretum Alex. 7. editum 1665. damnantis hanc propoſitionem: *qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Nec obſtat, quòd actus illi interni non ſint ſenſibiles in ſe, nec poſſint directè cognoſci ab humano judice; quia ſufficit quòd ſint ſenſibiles indirectè, mediantibus actibus externis: quæ cognitio, licet non ſit omninò infallibilis, habet tamen quamdam infallibilitatem moralem, qualis habetur de voluntate contrahendi matrimonium, aut vovendi per verba promiſſoria eo modo prolata, quo proferri ſolent ab iis, qui ſeriò contrahunt, aut vovent.

R. 3. Non poteſt tamen ab Eccleſiâ præcipi aut prohiberi actus internus merè per accidens conjunctus cum externo, etiam ſpectato in ſuâ ſpecie morali, v. g. ut eleëmoſyna exerceatur ex fine aliquo extrinſeco, putà, ad impetrandam pluviam, vel de hoſte victoriam &c. quia ſic præciperetur actus internus directè ut internus, quod eſt contra dicta Quæſt. præced.

CAPUT IV.

De Conditionibus requiſitis, ut lex humana obliget.

Q. 1. *Quæ promulgatio requiritur, ut lex civilis obliget?*

R. Ut leges Cæſareæ obligent in provinciis, non ſufficit promulgatio uno loco facta v. g. in curiâ Principis. ſed debent in ſingulis provinciis promulgari. Ita Theologi, & juriſtæ communiter. Ex Authenticâ, *ut novæ conſtitutiones.* (Quæ eſt Novella 66. Juſtiniani) §. *Sancimus.* Ubi Imperator ſancit, novas leges valere, in urbe quidem Imperatoriâ, ex quo ibi *in commune facta ſunt manifeſta; in provinciis verò, ex quo per Metropolitas palam facta fuerunt.*

Dices cum Vaſq. in textu iſtiùs Authenticæ ſolùm agitur de legibus teſtamentariis, ergo extendi non debet ad quaſlibet alias leges.

R. N. Conſ. quià, cùm rubrica, ſeu titulus Authenticæ ſit generalis, quòd in textu dicitur de legibus teſtamentariis, potiùs eſt exemplum rubricæ, quàm materia adæquata illius.

Nota id quod de legibus Cæſareis dicimus, ex-

tendi debere ad leges aliorum Principum, & populorum utentium jure Cæſareo, ſi ditionem habeant ſatis amplam, ſeu conſtantem pluribus provinciis, quarum ſingulæ habent civitatem metropolitanam. In Regnis autem, & Principatibus non utentibus jure communi, ſeu Cæſareo, ſpectandæ ſunt cujuſque leges, & conſuetudines, cùm ex rei naturâ poſſit ſufficere unica, non tantùm facta in loco Curiæ, ſed in loco, ſeu intra, ſeu extra ditionem legiſlatoris, ex quo moraliter poſſit ad ſubditorum notitiam pervenire.

Q. 2. *An ut leges Pontificiæ obligent in Provinciis, debeant in illis eſſe promulgatæ?*

Nota ex Suare, Granado &c. aliud eſſe promulgationem legis, & aliud ejuſdem divulgationem. Promulgatio eſt quaſi 1ª. propoſitio, & indictio legis conditæ à Principe, quæ fit, vel voce præconis, vel affixione edicti in certo loco publico &c divulgatio autem eſt illius primæ promulgationis extenſio ad omnium, aut plurium ſubditorum notitiam. Quæſtio eſt de 1ª. illâ promulgatione, an ſufficiat illam factam eſſe Romæ, ut lex Pontificia obliget in omnibus Provinciis; an verò ad hoc requiratur, ut in ſingulis Provinciis facta ſit ea promulgatio?

Duplex eſt ſententia, & utraque probabilis. prima docet leges Pontificias non minùs, quàm Cæſareas promulgari debere in Provinciis, ut in iis obligent. Abbas, Armilla, Sotus, Medina, Sa, Molina, & alii apud Suar. & Salas. ſecunda docet ſufficere, ut Romæ promulgentur, & hoc ipſo obligare in omnibus Provinciis orbis chriſtiani. Silveſter, Azor, Suar. Vaſq Salas, Malder. Granad. Præpoſ. & alii communiùs; Item ex juriſconſultis, Bartholus, Baldus, Gomez. & alii.

In hoc conveniunt DD. quòd, quando Pontifex diſertè exprimit, ſe velle, ut ſua lex Romæ

promulgata obliget in Provinciis, non requiratur alia promulgatio in iiſdem Provinciis, niſi obſtet ſpeciale alicujus loci privilegium, cui non ſit ſufficienter derogatum. Et è contrà, quando exprimit Pontifex ſe nolle, ut ſua lex obliget, niſi promulgata ſit in Provinciis, clarum eſt non obligare, cum leges non obligent, niſi dependenter à voluntate legiſlatoris. Sed difficultas eſt de legibus, & bullis, in quibus nihil exprimitur de promulgatione in Provinciis.

R. Probabilius videtur leges Pontificias, quæ nihil exprimunt circa locum promulgationis, obligare in Provinciis, poſtquàm ſufficienter conſtiterit fuiſſe Romæ promulgatas, niſi obſtet ſpeciale aliquod loci privilegium.

Prob. 1. quia ad inducendam obligationem, ex rei naturâ ſufficit unica promulgatio; & aliunde Eccleſia nihil in contrarium conſtituit: imò, ut jam dicetur, ex variis indiciis colligitur eam eſſe mentem Pontificum. Ergo &c.

Prob. 2. ex Bullâ Pii IV. *Sicut ad ſacrorum*, quę poni ſolet ad calcem Trid. ubi Pontifex declarat decreta Concilii Trid. ad reformationem morum pertinentia, obligare omnes cœpiſſe Kalendis Maii, Anni 1564. poſt publicationem Romæ factam, nullâ factâ mentione promulgationis in Provinciis.

Prob. 3. Quia, ut teſtatur Navarrus, ſtylo & conſuetudine Curiæ Romanæ deciduntur lites totius orbis Chriſtiani, juxta conſtitutiones Romæ promulgatas, quamvis alibi promulgatę non ſint.

Prob. 4. Quia pleræque decretales, inſertæ corpori juris, non ſunt promulgatæ in Provinciis, cùm tamen etiam ibi obligent. Et bulla Cœnæ quotannis tantùm appenditur ad valvas Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, & principis Apoſtolorum, & ſine aliâ promulgatione, ſupponitur

obligare in aliis Provinciis, ut Suares & alii.

Nec refert, quod leges Cæſareæ non obligent in Provinciis, ubi non ſunt promulgatæ: eſt enim potior ratio non exigendi talem promulgationem pro legibus Pontificiis; quia cùm Pontifex non habeat eam vim coactivam in terris ſibi temporaliter non ſubjectis, quam habet Cæſar in imperio, aut Rex in ſuo regno, facilè contingere poſſet, ut alicujus malitiâ, vel violentiâ impediretur promulgatio legum Pontificiarum in Provinciis, atque ita redderentur inefficaces.

Dices: multa ſequerentur incommoda, præſertim in legibus irritatoriis, ſi per earum promulgationem Romæ factam, actus contrarii hoc ipſo irritarentur.

R. Ad providentiam Pontificis pertinere, ne talia ſequantur incommoda; & idcirco in ſimilibus legibus, quæ tollunt valorem actuum, qui ſine gravibus incommodis reſcindi non poſſunt, ſolet ex æquitate præſcribi, ut in Provinciis promulgentur. Ceterùm in ſimilibus obviari ſufficienter poteſt dictis incommodis abſque promulgatione in Provinciis, nempe per hoc, quòd talis lex v. g. tollens juriſdictionem in foro conſcientiæ &c. Romæ promulgata, non obliget in Provinciis, niſi poſt tempus competens, aut poſtquam in locis ſingulis in communem notitiam venerit.

Nota quæ hîc dicta ſunt, intelligi debere præciſè de legibus Pontificiis, non verò de definitionibus Pontificum in materiâ fidei, aut morum; nam, cùm ex Cathedrâ aliquid definiunt eſſe de fide, aut aliquid eſſe in ſe licitum, aut illicitum, certum eſt ejuſmodi definitionum obſervantiam non pendere à promulgatione, aut acceptatione in Provinciis, ſed obligare ſtatim, atque de iis habetur ſufficiens notitia.

Q. 3. *Ex quo tempore lex ſufficienter promulgata obligare incipiat?*

R. 1. Leges Cæſareæ non obligant niſi poſt duos menſes à die promulgationis. Patet ex Authenticâ ſuprà citatâ, cujus rubrica generaliter dicit: *ut facta nova conſtitutiones poſt inſinuationem earum poſt duos menſes valeant.* Textus autem præcipit duos illos menſes computari in Provinciis ab inſinuatione illis factâ. Quod non tantùm verum eſt quoad forum externum, ut volunt aliqui, ſed etiam quoad forum conſcientiæ, ſic ut ante illud tempus lex in conſcientiâ non obliget. Patet ex his Authenticæ verbis: *poſt duos menſes valeant,* Id eſt, obligent.

R. 2. Quamvis ob quorumdam DD. authoritatem probabile ſit leges Pontificias ſimiliter non obligare ante duos menſes, niſi in eis aliud exprimatur: ſic enim tenent Granad. Becan. Amicus, & alii; probabilius tamen videtur, quod docent alii communiùs, eas ſtatim à promulgatione obligare, intelligendo reſpectu locorum, ad quæ moraliter potuit ſufficiens legis notitia pervenire.

Prob. Quia ex rei naturâ lex ſtatim obligat, ſaltem reſpectu loci ad quem, ſuppoſitâ promulgatione, moraliter potuit legis notitia pervenire, juxta communem; & aliunde Eccleſia nihil in contrarium ſtatuit. Ergo &c.

Q. 4. *An, ut lex obliget, requiratur populi acceptatio, ſeu receptio?*

R. 1. Ex rei naturâ non requiritur; adeoque, ſi legiſlator abſolutè velit legem ſuam obſervari, (quam ſuppono juſtè latam) non obſtante quâcumque oppoſitione, per ſe obligabit, quamvis à populo acceptata, ſeu recepta non ſit. Ita Silveſt. Suarez. & alii Theologi communiter, contra Covarr. Navarr. & alios Juriſtas.

Prob. quia ubi eſt poteſtas legiſlativa, ibi conſequenter eſt poteſtas obligandi, & exigendi legis obſervationem; alioquin enim poteſtas illa eſſet inutilis, & nulla. Etſi hoc maximè verum ſit in Pontifice, aliiſque ſuperioribus Eccleſiaſticis, & iis Principibus ſæcularibus, qui poteſtatem ſuam non acceperunt à populo; idem dicendum tamen de aliis: quia ex quo populus poteſtatem ſuam in Principem tranſtulit, is non ampliùs pendet à populo, ut poſſit illum legibus conſtringere, cùm hanc poteſtatem cenſeatur accepiſſe abſolutè, & ſine reſtrictione: niſi contrarium ſufficienter appareat.

Nota hāc propoſitionem eſſe damnatam ab Alex. VII. *populus non peccat, etiamſi abſque ullâ causâ non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Ɽ. 2. Si lex ſimpliciter, & ordinario modo feratur, nec legiſlator oſtendat expreſsè verbo, aut facto ſe velle abſolutè ut non obſtante oppoſitione, vim obtineat, probabile eſt non obligare, ſi à majori parte non acceptetur. Ita Suar. Tannerus, & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia eo ipſo, quòd legiſlator nihil aliud exprimit, præſumendus eſt ex regulis prudentis regiminis conſentire in ſuſpenſionem obligationis ſuæ legis. Et ita videtur præſcriptum conſuetudine populorum. Juxta hanc reſponſionem explicari poſſunt, quæ à Juriſtis afferri ſolent contra præcedentem reſolutionem.

Circa hæc pro praxi, Nota 1. ad hoc, ut lex cenſeatur non recepta, requiri ut aliquo tempore à majori parte communitatis (putà Provinciæ, Diœceſis, &c.) in uſum non deducatur, quamvis fortè idcircò non obſervetur, quòd plerique illam ignorent. Ita Præpoſ. &c.

2. Legem ſufficienter promulgatam ab initio, obligare ànte acceptationem, & conſequenter

peccare eos, qui primi ſine cauſâ illam tranſgrediuntur. Si tamen ab initio lex appareat nimis dura, & rationabiliter exiſtimetur à majori parte populi non recipienda; probabile eſt eum, qui alioqui ex parte ſuâ paratus eſt legem ſervare, poſſe ſecluſo ſcandalo per quamdam Epiichiam ab ejus obſervatione in conſcientiâ excuſari, donec videat legem à communitate recipi. Similiter juxta Molinam. to. 6. diſp. 71. n. 7. poſſunt oppida, & minores civitates, tali caſu, expectare an majores communitates ſint legem recepturæ; ſi tamen legiſlator legis executionem urgeat, per ſe loquendo, ſervanda eſt.

3. In dubio, an lex recepta ſit, dicunt Rodrig. Layman, &c. pro ipsâ lege præſumendum eſſe. Quod tamen alii putant ſolùm habere locum in foro externo: in foro autem conſcientiæ eum, qui de hoc rationabiliter dubitat, poſſe ita ſe gerere, ac ſi recepta non eſſet. Vide Præpoſ. & Dianam. p. 1. tract. 10. reſol. 3.

Q. 5. *Quid requiratur, ut lex humana obliget ſub mortali?*

R. Requiri intentionem graviter obligandi in legiſlatore, & gravitatem materiæ. Porrò gravitas materiæ non tam ſpectanda eſt, ex conditione actûs ſecundùm ſe, quàm ex gravitate motivi ſeu finis, qui per ſe intenditur à legiſlatore, & ad quem ratione circumſtantiarum graviter conducere poteſt. Hoc patet in comeſtione pomi in paradiſo, quæ ſecundùm ſe erat levis: item in ingreſſu viri in clauſtrum Monialium, qui ſecundùm ſe eſt res levis; quia tamen conducere poteſt ad gravia mala avertenda, eſt materia gravis, & prohibita ſub excommunicatione.

Q. 6. *Quomodo dignoſci poſſit, num lex aliqua, aut præceptum obliget ſub mortali?*

R. Ad id communiter tradi ſequentes regulas:

1. Quando præcepto adduntur hæ, aut ſimiles particulæ: *in virtute ſancta obedientia: ſub interminatione divini judicii: ſtrictè præcipimus* &c.

2. Quando apponitur gravis pœna ſpiritualis, ut excommunicatio major latæ ſententiæ, ſeu ipſo facto incurrenda, imò & excommunicatio major ferenda, ſaltem ſi eſt ferenda abſque præviâ ulteriore monitione. Item degradatio, depoſitio, privatio omnium beneficiorum, Eccleſiaſticæ ſepulturæ. &c.

3. Quando apponitur gravis pœna temporalis in iis, de quibus Reſp. non poteſt diſponere, niſi ſuppoſitâ gravi culpâ. Ut ſi apponatur pœna mortis, mutilationis, &c.

4. Spectandum quibus verbis utatur legiſlator: quædam enim verba ſolùm directionem, aut ſimplicem ordinationem ſignificant: alia autem ſtrictum præceptum, qualia ſunt: *præcipimus, prohibemus, teneantur omnes* &c. quamquam hæc non ſemper ſint ſignum ſufficiens gravis obligationis, etiam poſita in legibus Eccleſiaſticis, ut notant, Valentia, Medina, &c. ſed tantùm, quando conſtat de gravitate materiæ, & aliunde non apparet contraria legis intentio. Quare in ſimilibus conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, proborum ac prudentum ſenſus, & conſuetudo, quæ dicitur optima legum interpes.

Q. 7. *An poſſit legiſlator in materiâ gravi obligare ſolùm ſub veniali?*

R. Affirm. Ita Theologi communiùs contra multos.

Prob. quia legiſlatori liberum eſt per ſuam ordinationem, etiam in materiâ gravi, obligare vel non obligare ſub peccato: ergo ſimiliter eſt illi liberum velle obligare graviter, ſeu adæquatè ad capacitatem materiæ, vel ſolùm leviter, & inadæquatè, ſicut reipsâ fit in quibuſdam Religionibus,

quarum regulæ etiam de re gravi obligant ſolùm ſub veniali.

Q. 8. *An lex humana poſſit obligare cum periculo vitæ?*

R. 1. Lex humana communiter non obligat cum periculo vitæ, imò neque cum gravi damno, aut incommodo.

Prob. 1. Quia ex praxi Eccleſiæ, & communi ſenſu conſtat neminem teneri ad jejunandum, audiendam miſſam, legendas horas &c. cum gravi periculo valetudinis, aut alterius notabilis incommodi.

Prob. 2. Quia ipſæ leges Divinæ poſitivæ, quæ ex ſuo genere ſtrictiùs obligant, in tali periculo non ſolent obligare, ut patet exemplo Davidis, quem Chriſtus Matt. 12. excuſat, quòd, urgente neceſſitate, comederit panes Propoſitionis, quos edere non licebat niſi ſolis Sacerdotibus. Idem patet in præcepto faciendi confeſſionem materialiter integram, &c.

R. 2. Poteſt lex humana per accidens aliquando obligare cum periculo vitæ v. g. in caſu, quo ejus tranſgreſſio cederet in contemptum legis, & Religionis Catholicæ, ut ſi quis inter hæreticos urgeatur ad carnes comedendas die prohibito, vel in grave ſcandalum puſillorum; quo ſenſu intelligit Suarez illud Aug. lib. de bono conjugali C. 16. *ſatius eſt in fame mori, quàm idolothytis veſci.*

R. 3. Poteſt etiam in quibuſdam caſibus lex humana per ſe obligare cum periculo vitæ.

Prob. Quia dantur actiones aliquæ habentes annexum vitæ periculum, quæ graviter neceſſariæ ſunt ad bonum commune: tales autem præcipi poſſunt, quando bonum commune cenſetur præponderare vitæ hujus, vel illius ſubditi. Ita poteſt Epiſcopus præcipere parocho, ne tempore peſtis oves deſerat: dux militi, ne ſtationem deſerat,

deſerat , ut hoſti muros ſubeunti ſe opponat &c. neque dici poteſt obligationem in his caſibus eſſe à lege naturali immediatè , quia lex naturæ non obligat hos potiùs , quàm illos.

CAPUT V.

De iis , qui Legibus Subjecti ſunt.

Q. 1. *An legibus humanis obligentur infantes , amentes ?* &c.

R. Nec infantes ante uſum rationis , nec perpetuò amentes obligantur legibus humanis : quia leges humanæ debent moraliter , & humano modo ſubditis imponi , & intimari ; quod non habet locum reſpectu eorum , qui rationis uſum nondum aſſecuti ſunt. Hinc non eſt illicitum , per ſe loquendo , & ſecluſo ſcandalo , dare illis carnes comedendas in quadrageſimâ. Incipiunt autem pueri obligari legibus humanis , nempe communibus , & quarum materia etiam eorum ætati conſentanea eſt , ſtatim atque perveniunt ad uſum rationis , qui præſumitur advenire circa annum 7um. adeoque ex tunc obligantur ad miſſæ auditionem , abſtinentiam à carnibus , confeſſionem annuam , &c.

Atque iſta intelligenda ſunt præcisè de infantibus ante uſum rationis , & perpetuò amentibus, non de iis , qui per ebrietatem , aut amentiam temporariam , deſtituuntur uſu rationis : quia hi ſunt in ſtatu habitualis uſûs rationis , licet per accidens impediti. Hinc non licet eis dare carnes tempore vetito , etiam exiſtentibus in actuali ebrietate , vel amentiâ. Et idem eſt de illis , qui

non univerſaliter, ſed tantùm in quibuſdam deſipiunt.

Q. 2. *An infantes, & amentes obligentur lege naturali?*

R. Quamvis id varii negent, conformiter ad jam dicta, probabilius tamen eſt eos obligari, nempe habitualiter, & in actu 1. Ita Molina, Granad. Becanus &c. imo & S. Th. q. 94. art. 1. in fine, ubi dicit legem naturalem habitualiter ineſſe puero (ſicut & dormienti) quamvis eâ uti non poſſit ob defectum ętatis. Ratio eſt, quòd obligatio legis naturalis non debeat homini provenire ab extrinſeco, & applicari per ſigna extrinſeca ad eum directa (ut fit in lege humanâ) ſed illi advenit ſimul cum ipsâ naturâ, & per impreſſionem luminis naturalis.

Dixi *habitualiter, & in actu* 1. quia tales eâ lege non obligantur in actu 2. defectu notitiæ, ac libertatis ſufficientis. Et hoc forſan tantùm volunt, qui ſunt in oppoſitâ ſententiâ. Eſt igitur illicitum parvulos illos, aut amentes excitare ad iram, libidinem, &c. quamvis non ſit illicitum eos excitare ad edendas carnes die vetito.

Q. 3. *An ignorantes legem, eâ obligentur?*

R. ignorantes, etiam invincibiliter, legem ſufficienter promulgatam, eâ obligantur, velut in actu 1. eo quòd lex ſit verè illis impoſita, & ſufficienter applicata, quantum eſt ex parte legiſlatoris: quia tamen contra illam peccare non poſſunt, niſi accedente ipſius legis notitiâ, propriè non obligantur in actu 2. & ita conciliari poſſunt DD. de voce magis, quàm de re inter ſe diſſidentes, quorum aliqui, ut Vaſq. Mœrat. cum quibuſdam Juriſperitis, abſolutè negant ignorantes legibus obligari: alii communiùs affirmant: hoc certum eſt, non licere homini legem ſcienti, alterum, qui eam ignorat, inducere ad id, quod

lege illâ prohibitum eſt, v. g. ut veſcatur carnibus die vetito.

Q. 4. *An legiſlator obligetur ſuis legibus?*

R. Non teneri quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam, quaſi directè vi ſuæ legis obligetur ad eam ſervandam, cùm hæc obligatio ſit effectus juriſdictionis, & ſuperioritatis, quam nemo habet in ſeipſum: indirectè tamen tenetur eam ſervare ex æquitate naturali, & juſtitiâ legali, ut communitati, cujus eſt caput, ſe conformet: nam ſi (ut ait Aug. relatus capitulo, *quæ contra mores* diſt. 8.) *turpis eſt pars ſuo univerſo non congruens*, quanto magis non congruens caput?

An autem ea obligatio in legiſlatore (nempe abſoluto, & qui ſolus independenter ab aliis legem condere poteſt) cenſenda ſit gravis, & ſub mortali, variant ſententiæ. Affirmant aliqui, ſed plures tenent eſſe tantùm ſub veniali, quia tantùm ex æquitate naturali, quæ de ſe graviter non obligat.

Q. 5. *An peregrini teneantur legibus ſui territorii, dum verſantur alibi, ubi illæ non obligant?*

R. Cum communi negativè. Colligitur ex capitulo *ut animarum* de conſtitutionibus in 6. ubi dicitur excommunicationem ab Epiſcopo latam contra fures, non incurri ab ejus ſubdito furante extra diœceſim. Et hæc eſt praxis, & uſus communis fidelium, non aliter accipientium leges locales, quàm ut ſolùm obligent in territorio, pro quo latæ ſunt. Hinc, ſi in loco proprii territorii ſit feſtum, aut jejunium, & non in alio, in quo moraris, non teneris ad illud. Quod etiam verum eſt, ſi in unâ ejuſdem urbis parochiâ ſit feſtum, aut jejunium, & non in alterâ. Imò juxta Suarez Sanchez. Præpoſ. &c. côtra Layman, & alios ab eo citatos, etiamſi quis ex loco domicilii, in quo

eſt indictum feſtum, aut jejunium, eo animo migret in alium, ut ſubterfugiat obligationem.

Communis quidem opinio, & fidelium perſuaſio eſt, eum, qui ipſo die manè laborandi cauſâ, aut quidpiam aliud agendi, diſcedit ex loco, ubi eſt feſtum, ad locum, ubi non eſt; teneri ſaltem priùs audire ſacrum, ſi commodè poteſt. Oppoſitum tamen tenent Sanchez, Salas, Præpoſ. Leſſ. Amicus &c. dummodo talis futurus ſit extra locum, in quo eſt feſtum, adhuc durante commoditate audiendi ſacri. Ratio illorum eſt, quòd, quamdiu adhuc durat ea commoditas, non peccet non audiendo; dum autem eſt extra locum, deſinat obligatio.

Nec refert, quòd qui in loco obligationis manens prævidet ſe impediendum tempore ultimi ſacri, teneatur prævenire ſi poſſit: diſparitas enim eſt, quòd hic videat ſe impediēdum ſtante adhuc obligatione ex parte præcepti; at in noſtro caſu talis prævideat quidem ſe non auditurum ſacrum, ſed deſinente tunc obligatione ex parte præcepti. Ceterùm, quidquid ſit de hâc ſpeculatione, communis ſententia omnino in praxi ſuadenda eſt.

Qui tamen die jejunii diſceſſurus eſt in locum, ubi non eſt jejunaturus, non poteſt veſci carnibus in loco, ubi jejunium eſt, etſi prævideat ſibi licitum fore carnes comedere in loco, ad quem tendit; quia nempe obligatio abſtinendi à carnibus dividua eſt, & peccatur contra eam toties quoties. Probabile tamen eſt, talem ante diſceſſum poſſe ſumere refectionem, licet prævideat ſe ſumpturum poſteà aliam in loco, ubi non eſt jejunium. Ita Leſſ. Baldell. Sanchez, Trullenk. &c. Contra Baſilium Pontium, Palao &c. Ratio eſt, quæ antè de audiendo ſacro, quia ſumptâ manè unâ refectione, nondum ſolutum eſt jeju-

nium, & in alio loco non eſt obligatio jejunandi.

Q. 6. *An peregrini teneantur legibus locorum, in quibus verſantur?*

R. Aff: ſive ſint leges propriæ, & particulares iſtius loci, ſive ſint juris communis; ſed quæ ex privilegio, aut conſuetudine non ſervantur in proprio territorio; idque etiam dum ibi ſunt tantùm velut in tranſitu.

Prob. Quia in legiſlatore eſt ſufficiens poteſtas obligandi peregrinos, quamdiu verſantur in ſuo territorio, cùm id videatur neceſſarium ad bonum cujuſque loci, propter quod feruntur leges: ergo de facto cenſendus eſt velle illos obligare, cùm id conducat ad bonam gubernationem territorii. Et verò puniri poſſunt peregrini à judice loci, ſi ibi peccent; & quoad contractus, tenentur conformare ſe legibus loci. Quod ſignum eſt eos abſolutè teneri legibus loci, in quo verſantur.

Confirm. Ex Aug. l. 3. Confeſſ. c. 8. ubi dicit: *pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nullâ civis, aut peregrini libidine eſſe violandum.* Et epiſt. 86. in fine refert Ambroſium à ſe interrogatum reſpondiſſe: *quando hìc ſum* (Mediolani) *non jejuno ſabbato, quando Romæ ſum, jejuno ſabbato.* Ex quo Ambroſii dicto putant aliqui ortum eſſe vulgare illud: *Cum fueris Romæ* &c. pro hâc ſententiâ citantur Navar. Covarr. Suar. Vaſq. Malder. Leſſ. Præp. Moerat. & alii plures contra utrumque Sanchez, Medinam, Azor, Tanner. Amic. Layman. &c. quorum ſententia etiam eſt probabilis.

Conveniunt tamen citati DD. in ſequentibus: 1. Advenam accedentem ad aliquem locum, animo ibi figendi domicilium, ſeu ibi perpetuò manendi, vel quaſi domicilium, ſeu ibi commorandi majori parte anni, ut faciunt Scholaſtici in

Univerſitatibus, famuli, Ancillæ, &c. ſtatim teneri legibus illius loci.

2. Peregrinum teneri ad ſervandas leges loci, per quem tranſit, ſi earum violatio cedat in damnum, ſeu detrimentum iſtius loci, ut ſunt v. g. leges, quibus prohibetur, ne triticum, aut aliæ merces ex oppido extrahantur; ne peregrini mœnia conſcendant; ne ultra certum tempus ibi maneant, &c.

3. Advenam teneri ſervare leges loci, per quem tranſit, quando eæ ſunt juris communis, quamvis ex privilegio, aut conſuetudine non ſerventur in proprio ejus territorio. Exemplum eſt in cive Mediolanenſi, qui alibi exiſtens tenetur jejunare quatuor primis diebus quadrageſimæ, etſi diebus iſtis non jejunetur Mediolani. Similiter Belga, aut Germanus exiſtens in Italiâ, aut aliis locis, ubi præcepta eſt abſtinentia à lacticiniis, tenetur abſtinere: Hiſpanus extra Hiſpaniam abſtinere die ſabbati à carneis inteſtinis, & extremitatibus animalium. &c.

Q. 7. *An Clerici ſubjiciantur legibus civilibus, & Religioſi exempti legibus Epiſcoporum?*

R. 1. Clerici quoad vim directivam obligantur, ſaltem indirectè, legibus communibus Reip. in quâ vivunt, ſi earum materia etiam ad ipſos pertineat, nec quidquam contineat eorum ſtatui diſconveniens, aut ſacris canonibus, & immunitati Eccleſiaſticæ repugnans.

Prob. Quia, cùm ſint pars communitatis, ejuſque commodis fruantur, æquum eſt, ut ſe toti communitati conforment in iis, quæ ad Reip. pacem, & gubernationem neceſſaria ſunt: præſertim cùm ea ſit voluntas Pontificis, ut in ſimilibus Reip. ſe conforment. Hinc non licet Clerico contra edicta Principis ferre arma prohibita, incedere noctu cum armis, merces vel pecunias ef-

ferre extra regnum, excedere taxationem pretii rerum, &c.

Dixi 1. *Quoad vim directivam.* Quia Principes ſæculares, per ſe loquendo, & ſeclufis privilegiis, aut conſenſu Pontificis, non habent vim coactivam in Clericos, ſed debent hi à ſuis ſuperioribus puniri, ſi delinquant, ut habetur, cap. *Eccleſia*, de conſtitutionibus, & toto ferè titulo, *de foro competenti.*

Dixi 2. *Saltem indirectè*, quia obligatio ſervandi leges civiles in Clerico non oritur directè ex poteſtate legiſlativâ civili, ſed partim ex lege naturali, quâ jubetur pars communitatis conformari ſe toti in iis, quæ ſpectant ad rectam illius gubernationem, partim ex voluntate, ſeu conſenſu Pontificis.

R. 2. Religioſi exempti tenentur legibus Epiſcoporum, & ſtatutis Synodalibus, quoad ea, quæ expreſsè ſtatuta ſunt in Trid. ſeſſ. 25. c. 12. & alibi, puta quoad feſta, & jejunia Diœceſis, item cenſuras & interdicta ab Epiſcopo promulgata, & publicanda in propriis Eccleſiis, ſi ipſe mandaverit. Extra caſus autem à jure expreſſos, non tenentur ſtatutis Epiſcoporum, niſi ex quâdam decentiâ, quoad ea, quæ illorum exemptioni, & privilegiis non repugnant. Ita Suar. Granad. Præp. &c.

CAPUT VI.

De modo, quo obſervandæ ſunt leges, ſeu præcepta.

Q. 1. ***Quæ intentio requiratur ad ſatisfaciendum præcepto?***

R. 1. Ut ſatisfiat præcepto negativo, nulla requiritur intentio, quia per tale præceptum non præcipitur actus, aut omiſſio humana, ſeu libera, ſed solùm vetatur actus humanus; id eſt, ne quis ſciens & volens furetur, occidat, &c. Unde tali præcepto ſatisfieri poteſt, etiam à dormiente, amente, &c. Quamvis, ut obſervatio præcepti etiam negativi ſit meritoria, requiratur poſitiva intentio illud implendi ex motivo aliquo honeſto. Similiter qui die præcepto jejunat, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, quamvis id non faciat ex motivo temperantiæ, aut ullo alio motivo alicujus virtutis, ſed ratione valetudinis, vel quia cibus ei non datur, vel quia dormit, aut non cogitat de cibo, &c. Nam præceptum jejunandi, quamvis in ſpeciem affirmativum, reipsâ eſt negativum, ſcilicet præceptum non comedendi pluries de die, non comedendi carnes.

R. 2. Ut ſatisfiat præcepto affirmativo non eſt neceſſarium, ut opus ponatur ex fine extrinſeco, quem intendit legiſlator, ſed ſatis eſt, quòd liberè & humano modo ponatur ſubſtantia operis præcepti.

Prob. Quia finis ille extrinſecus habet ſe merè per accidens ad ſubſtantiam actûs externi etiam conſtituti in ultimâ ſuâ ſpecie morali. Ergo non

cenſetur cadere ſub præceptum juxta illud : *finis præcepti non cadit ſub præceptum.* Hinc ſi Epiſcopus ad certum aliquem finem v. g. impetrandæ à Deo pluviæ, vel ſerenitatis aëris indicat miſſæ auditionem, ſupplicationem, eleëmoſynam, &c. Satisfaciunt fideles ſi miſſam reverenter audiant, piè interſint ſupplicationi, dent eleëmoſynam, &c. Aliud eſt de fine intrinſeco,ſeu intentione pertinente ad ſubſtantiam moralem operis præcepti, qualis eſt v. g. intentio verè contrahendi requiſita ad contractum, intentio ſe obligandi requiſita ad votum, intentio Deum colendi requiſita ad orationem, &c. quia hoc ipſo, quòd directè præcipitur opus morali modo ponendum, cenſetur etiam talis intentio indirectè præcipi. Vide dicta, c. 3. q. 5.

Q. 2. *An ad ſatisfaciendum præcepto requiratur, ut opus fiat ex intentione illi ſatisfaciendi?*

R. Id non eſſe neceſſarium, quia ſine illâ intentione poſſunt haberi omnia, quæ neceſſaria ſunt, ut actus ponatur in ſuâ ſpecie morali : hinc qui ex intentione divini cultûs ſacrum audivit neſciens eſſe diem feſtum, & conſequenter abſque intentione ſatisfaciendi præcepto, nihilominus ſatisfecit, nec tenetur aliud ſacrum audire. Imò idem dicendum de eo, qui ſacrum audiit cum expreſsâ intentione non ſatisfaciendi præcepto per illud, ſed per aliud: quia nempe etiam talis poſuit ſubſtantiam operis præcepti.

Hoc etiam extendunt aliqui ad votum, quo quis v. g. ſe obligavit ad audiendum ſacrum, dicentes illi ſatisfieri, licet ſacrum auditum ſit cum expreſsâ intentione non ſatisfaciendi voto per illud. Ita Sanchez in decal. l. 1. c. 13. n. 18. quem ſequitur Palaus diſp. 1. puncto 17. Verùm potiùs dicendum cum Suare l. 4 de horis canonicis. c. 26. & aliis communiùs talem non ſatisfacere, &

hanc eſſe differentiam quoad hoc inter legem & votum, quòd, ſicut poteſt quilibet propriâ voluntate obligationem voti ſibi imponere, ita poſſit in illâ permanere; quo caſu cenſetur virtualiter novum votum facere, aut antè factum renovare.

Q. 3. *An poſſit legi ſatisfieri per actum peccaminoſum?*

R. Poſſe, ſi actus ſit de ſe & ex circumſtantiis intrinſecis honeſtus, & illius ſpeciei moralis, in quâ præcipitur, licet vitietur per circumſtantias extrinſecas, v. g. per motivum aliquod extrinſecum malum. Exemplum eſt in eo, qui religioſè aſſiſtit ſacro, dat eleëmoſynam ex honeſto fine intrinſeco ſublevandi miſeriam pauperis &c. Sed ad id motus extrinſecè ex vanâ gloriâ. Quo caſu licet actus imperans nitatur motivo intrinſeco vanæ gloriæ, actus tamen imperatus, qui eſt auditio ſacri, datio eleëmoſynæ, &c. retinet propriam bonitatem, & ſpeciem moralem, in quâ præcipitur. & conſequenter per illum ſatiſfit legi talem actum præcipienti. Vide dicta. tr. 1. c. 7. ſimile eſt in Miniſtro Sacramentorum, qui actionem ſacramentalem, ut valida ſit, debet quidem ponere ex intentione conficiendi ſacramentum; ſed non deſinet ſacramentum eſſe validum, licet actionem illam ſacramentalem extrinſecè ordinet ad malum finem, & ita ex motivo extrinſeco malo, illam vitiet.

CAPUT VII.

De lege pœnali, & irritante.

Q. 1. *An lex pœnalis obliget in conſcientiâ?*

R. Id debere dignoſci ex circumſtantiis, & verbis legis: nam ſi legiſlator in ſuâ lege disertè exprimat ſe per pœnæ appoſitionem nihil imminutum velle de obligatione ſub culpâ; vel ſi apponatur pœna gravis, ſeu ſpiritualis v. g. excommunicatio major, ſuſpenſio totalis, depoſitio, &c. ſeu corporalis, ut pœna mortis, mutilationis, &c. vel ſi utatur verbis præceptivis, aut prohibitivis graviter obligantibus, &c. ſignum eſt quòd obliget in conſcientiâ. At quando legiſlator pœnâ appoſitâ aliud non exprimit, neque utitur verbis ſtrictè præceptivis, & importantibus rigoroſam obligationem, neque apponit pœnam talem, quæ neceſſariò ſupponat culpam, præſumi poteſt non obligare in conſcientiâ. Tales ſunt, inquit Præp. leges multæ, quæ apponunt pœnam dupli, confiſcationem rei, vel ſimilem pecuniariam, vel corporalem non ita gravem &c. Ut lex ne merces extra regnum, vel pecuniæ efferantur: ne vinum in loco privilegiato ematur ab iis, qui non habent privilegium. &c.

Q. 2. *An ignorantia excuſet à pœnâ legis?*

R. 1. Invincibilis ignorantia legis ſicut excuſat à culpâ, ita excuſat à pœnâ: nam pœna ſaltem propriè dicta ſupponit culpam. Hinc regula juris 13. *ignorantia facti, non juris excuſat*, ſic accipienda eſt, quòd ignorantia juris ordinariè non admittatur in foro externo, in quo præſumitur non

eſſe ignorantia, niſi probetur. Invincibilis tamen ignorantia legis humanæ non excuſat à pœnâ, ſi hæc impoſita ſit ob malitiam, quam habet actus antecedenter ad legem humanam, puta quia prohibitus eſt etiam lege naturali: hinc, qui occideret hominem, invincibiliter ignorans id eſſe prohibitum lege humanâ, non propterea excuſaretur à pœnâ; quia nempe homicidium, etſi non prohiberetur lege humanâ, eſt tamen ſufficienter prohibitum lege naturali, & pœnâ dignum.

2. Ignorantia vincibilis regulariter non excuſat à pœnâ, quia eâ non obſtante, culpa eſt ſufficienter voluntaria, ac juſtè punibilis. Dixi *regulariter*, quia ſi per legem ſolùm pœna decernatur, *ſcienter violanti*, *præſumenti contrairè*, *auſu temerario infringenti*, &c. tunc requiritur ſcientia legis, aut ignorantia affectata, vel ita craſſa, ut ſcientiæ, ſeu dolo æquiparetur.

3. Invincibilis ignorantia ſolius pœnæ non excuſat à pœnâ, ſi hæc ſit mediocris, & ordinaria. Si autem ſit gravis, & extraordinaria (habitâ ratione materiæ) probabile eſt excuſare. Granad. Navar. Palao, &c quod plures ſpecialiter docent de Cenſuris, de quibus ſuo loco.

Q. 3. *An lex pœnalis obliget ad ſubeundam pœnam ante ſententiam judicis?*

Nota 1. Pœnam hîc diſtingui duplicem: unam *latæ ſententiæ*, quæ per legem ſtatuitur incurrenda ipſo facto, ſive in ipsâ culpæ admiſſione: alteram *ferendæ ſententiæ*, quæ ſtatuitur infligenda per judicem.

Nota 2. Etiam ſententiam judicis in propoſito eſſe duplicem: unam condemnatoriam, per quam reus condemnatur ad certam pœnam: aliam criminis declaratoriam, per quam juridicè declaratur incidiſſe in culpam, propter quam pœna ex lege debetur.

Google

Nota 3. Pœnas *latæ ſententiæ* alias eſſe merè privativas, quæ non requirunt actionem ad ſui executionem, ut eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, &c. alias poſitivas, quæ requirunt aliquam actionem, ut ſolutio pecuniæ, reſignatio beneficii, &c. His notatis.

R. 1. Quando pœna eſt merè privativa, ſi feratur verbis apertè ſignificantibus pœnam *latæ ſententiæ*, ipſo facto incurritur ante omnem ſententiam, etiam declaratoriam, ut patet in excommunicatione latæ ſententiæ, item in ſuſpenſione, irregularitate, &c. quæ ex omnium ſenſu incurruntur ante omnem judicis ſententiam. Et idem eſt de aliis pœnis privativis, v. g. privatione petitionis debiti in conjuge, qui cognovit conſanguineam compartis, in privatione vocis activæ & paſſivæ &c. Excipe, niſi gravis cauſa excuſet, ut ſi pœna cenſeatur nimis gravis, ſpectatis humanis moribus, aut ſi ex obſervatione legis ſequatur grave damnum, v. g. periculum mortis, gravis infamia, &c. aut alia ſimilia adferentia moralem impoſſibilitatem: leges enim humanæ in talibus caſibus non obligant.

R. 2. Si lex non habeat verba tam expreſſa & urgentia, ſed tantùm dicat, privari *ipſo facto*, *ipſo jure*, *ex tunc*.. &c. Pœna non merè privativa, ſed requirens actionem delinquentis, quâ ſe privet jure aliquo jam acquiſito, non obligat ante ſententiam declaratoriam. Palao, & alii plures. Hinc legem illam, quæ crimini hæreſeos imponit pœnam confiſcationis bonorum omnium ipſo facto incurrendam. cap. *ſecundùm leges*, de hæreticis in 6. DD. paſſim ita interpretantur, ut; ly *ipſo facto*, indicet non eſſe expectandam judicis ſententiam condemnatoriam, ſed ſufficere declaratoriam criminis commiſſi.

Q. 4. *Quomodo teneatur delinquens ad ſubeun-*

dam pœnam poſt ſententiam judicis?

R. 1. Tenetur mulctas pecuniarias ſolvere, non tamen antequam exigantur.

2. Pœnas corporales tenetur ſubire ſine reſiſtentiâ, imò & per ſeipſum exequi quaſdam actiones, quæ à miniſtris commodè fieri non poſſunt, ut ire ad locum ſupplicii, conſcendere ſcalas &c. Non tamen tenetur ea per ſeipſum exequi, quæ commodè fieri poſſunt ab alio, vel quæ exequi in ſeipſum ſpeciem haberet crudelitatis. Imò ſi agatur de pœnâ mortis, non poteſt reus per ſeipſum illam exequi. An autem poſſit reus ex judicis ſententiâ ſeipſum enecare veneno ſcienter hauſto, vel venæ apertione, controvertitur. Affirmant Vaſq. Leſſ. & alii. Negant Salas, Bonac. &c.

3. Damnatos ad triremes, carcerem perpetuum, vel valde durum, poſſe fugere, probabiliter docent Suar. Baldel. &c. Contra Navar.

Q. 5. *Quid & quotuplex lex irritans? & quis earum effectus?*

R. Lex irritans eſt, quæ actum alioqui jure naturę ſubſiſtentem invalidat, ita ut ex illo non ſequatur ullus effectus moralis, v. g. obligatio, tranſlatio dominii, &c. Alia eſt pœnalis, alia non. Pœnalis eſt, quâ invalidatur actus in pœnam vel delicti antecedenter commiſſi, (ut lex irritans matrimonium ob uxoricidium, aut adulterium cum promiſſione conjugii) vel ipſiuſmet actûs, qui exercetur, ſi per ipſam legem, vel aliter eſt prohibitus. Non pœnalis eſt, quę actum irritum reddit, non propter aliud delictum, ſed ob bonum commune, quomodo irritatur teſtamentum minùs ſolemne, & profeſſio emiſſa ante annum ętatis 16um.

Quando lex irritat actum aliquem præcisè in pœnam, ſi non ſit culpa, non irritat; quia qui immunis eſt à culpa, debet eſſe immunis à pœna.

Cùm autem lex irritat in bonum commune, nulla præſupponitur culpa, aut notitia legis irritantis. Unde matrimonium clandeſtinum contractum inculpabiliter, ubi Trid. eſt receptum, habetur irritum; item profeſſio emiſſa ante annum 16. completum.

Pleræque autem ejuſmodi leges irritantes invalidant actum, etiam in conſcientiâ, ante omnem judicis ſententiam, ut patet in iis, quæ irritant matrimonium, profeſſionem, &c. Quædam tamen maximè civiles actum totaliter in conſcientiâ non irritant, ſed tantùm infirmant civiliter in ordine ad forum externum; vel ſic debilem reddunt, ut accedente judicis ſententiâ, careat omni effectu, perinde ac ſi ab initio nullus fuiſſet. Sed de his in tract. de juſtitiâ & jure.

CAPUT *VIII.*

De Abrogatione legis, diſpenſatione, Epiichiâ, privilegio.

Q. 1. *Quibus modis lex humana abrogari poſſit?*

R. Abrogari poſſe ex triplici capite. 1. Ex eo quòd ceſſet ratio legis. 2. Ex voluntate legiſlatoris. 3 Ex conſuetudine. Et idem eſt de derogatione, quæ eſt partialis abrogatio legis, nam quando lex non ex toto, ſed tantùm ex parte tollitur, non dicitur abſolutè abrogari, ſed illi derogari.

Q. 2. *Quomodo lex abrogetur ceſſante ratione legis?*

R. Si ratio, ſeu motivum legis ceſſet abſolutè & univerſaliter, ceſſat etiam legis obligatio. At ſi ratio legis ceſſet tantùm ex parte, ut ſi v. g. indic-

tum ſit jejunium ad avertendam peſtem, & obtinendam pacem, ceſſante peſte, non bello, adhuc manet obligatio legis. Idemque dicendum ſi primâ causâ ceſſante, alia ſimilis ſuperveniat, ut ferè fit in vectigalibus &c. Item ſi ratio, ſeu finis legis, etiam adæquatus, ſolùm ceſſet pro aliquo tempore, non idcirco ceſſat lex abſolutè, ſed ſolùm ſuſpenditur ejus efficacia pro illo tempore, quo elapſo, vim ſuam reſumit abſque novâ promulgatione.

Difficultas eſt, an ceſſante ratione legis non univerſaliter, ſed reſpectu alicujus perſonæ in particulari, ceſſet legis obligatio reſpectu illius? Affirmant Navar. Cajet. Comitolus, Granad. &c. Et probant exemplo correctionis fraternæ, cujus præceptum non obligat in particulari, reſpectu ejus, qui ſcitur correctione non emendandus, ſed potiùs in malo obfirmandus. Hoc autem ſi fiat in lege naturali, multo magis in humanâ, quæ non tam indiſpenſabiliter obligat. Negant alii communiſſimè, pro quibus faciunt innumera exempla.

1. Nemini licitum eſt v. g. legere libros prohibitos hæreticorum, quamvis ſit vir doctus, & pius, cui ex tali lectione nullum immineat periculum perverſionis, qui tamen eſt finis iſtius præcepti.

2. Licet fornicatio ſit illicita ob periculum malè educandæ prolis, ſi tamen in caſu aliquo particulari certum eſſet ceſſare iſtud periculum, non idcirco in tali circumſtantiâ licita eſſet fornicatio.

3. Si per legem prohibitum ſit, ne quis noctu armatus incedat ob periculum cædium & rixarum, & in aliquâ perſonâ particulari ceſſet hoc periculum, non propterea eximitur ab obligatione legis, & ita de aliis.

Dicendum: ſi ratio legis ſit bonum, aut periculũ commune, ſeu (quod idem eſt) ſi lex lata ſit ad vitanda inconvenientia, quæ communiter poſſunt contingere, non ceſſat legis obligatio in perſonâ particulari,

particulari, quamvis reſpectu ejus ceſſent inconvenientia. Patet in exemplis jam allatis pro ſecundâ ſententiâ. Si autem ratio legis ſit bonum, aut periculum, quatenus particulare, qualis eſt, ex communi ſenſu, ratio legis in correctione fraternâ, quæ petitur per ordinem ad bonum ſpirituale proximi, quatenus ſpecialiter provenire poteſt ex hâc meâ actione, tunc, ceſſante hoc fine in particulari, ceſſat lex, ſeu legis obligatio. Et ita videtur poſſe conciliari utraque ſententia, quarum tamen ſecunda abſolutè præferenda eſt; quia per ſe loquendo, ratio boni communis poſtulat, ut leges communes obſerventur communiter ab omnibus, qui illas ſervare poſſunt. Adde quòd prima ſententia nimiam concedat licentiam leges tranſgrediendi; quia unuſquiſque facilè ſibi perſuadebit ceſſare hîc & nunc rationem legis reſpectu ſui, & ita paſſim fiet contra legem cum magno detrimento boni communis.

Q. 3. *An, & quomodo poſſit legiſlator legem ſuam abrogare?*

R. Non tantùm validè, ſed, ex causâ etiam licitè poſſe ſuam legem, quamvis jam uſu receptam, in variis caſibus abrogare: ſi tamen eam abſque causâ ſufficienti abroget, peccat quidem pro ratione materiæ, ſed valida eſt abrogatio. Notat autem S. Tho. q. 97. art. 2. ad mutandam legem licitè, non ſufficere quamcumque utilitatem, ſed requiri gravem cauſam, & quę præponderet incommodo, quod ſequitur ex legis mutatione.

Q. 4. *An lex abrogari poſſit conſuetudine?*

Suppono conſuetudinem poſſe habere vim legis, ſiquidem præter conditiones requiſitas ad valorem legis, ut, quòd ſit honeſta, rationabilis, non nimis gravis attentâ humanâ conditione, utilis ad bonum commune &c. habeat conditiones ſequentes: ut ſit recepta à majori parte populi.

& quidem eorum, qui poſſunt legem condere, aut ex tacito Principis conſenſu, cui Reſp ſubjecta ſit. 2. Ut introducatur liberis actibus publicè exercitis. 3. Ut actus conſuetudinem inducentes ſint exerciti animo inducendi obligationem: nam ſi pia aliqua conſuetudo inducatur à populo abſque animo ſe obligandi, nulla per illam obligatio inducitur. Hinc conſuetudo v. g. accipiendi cineres primo die Quadrageſimæ, confitendi in Parochiâ tempore Paſchali &c. non habent vim legis. In dubio num conſuetudo introducta ſit animo ſe obligandi, præſumitur non obligare. His poſitis.

R. Lex tam Eccleſiaſtica, quàm civilis, etiam uſu firmata, abrogari poteſt conſuetudine. Prob. quia conſuetudo, ut jam dictum eſt, vim habet legis: ergo poteſt legem præexiſtentem tollere, ſicut lex poſterior poteſt priorem abrogare. Similiter poteſt conſuetudo derogare legi, ſeu illam ex parte tollere, ut ſi, relictâ obligatione ſub peccato, cenſeatur lex non obligare quoad pœnam ratione conſuetudinis.

Q. 5. *Quid diſpenſatio, & quis diſpenſare poſſit in lege humanâ?*

R. Diſpenſatio eſt relaxatio legis in particulari caſu, vel perſonâ. Poteſt diſpenſare in lege humanâ is, qui eam tulit, aut ejus ſucceſſor, aut ſuperior, aut cui illi id commiſerint. Non poteſt inferior in lege ſuperioris diſpenſare per ſe loquendo. Quod addo, quia quibuſdam caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in legibus Pontificiis. De quo alibi.

Q. 6. *An poſſit Legiſlator, aut habens poteſtatem diſpenſandi delegatam ſecum diſpenſare ex causâ?*

R. Poſſe, cùm enim ſit exercitium juriſdictionis voluntariæ, & quæ non requirit ſententiam, non requirit etiam diſtinctionem perſonarum, excipe niſi poteſtas delegati ſit reſtricta.

Q. 7. *An, & quæ cauſa requiratur ad diſpenſandum?*

R. 1. Legiſlator in lege ſuâ, vel Superior in lege ſui inferioris, &c. diſpenſans abſque causâ; id validè facit, ſed illicitè. Quod Suar. Valent. Granad. & alii putant eſſe mortale, ſi diſpenſatio fiat in re gravi: Navarr. tamen, Sanch. Pontius, Præpoſ. &c. docent, ceſſante ſcandalo, aut notabili incommodo aliorum, eſſe tantùm veniale. Cauſa autem ad id ſufficiens eſt quæcumque rationabilis, etiam extrinſeca, v. g. merita perſonæ petentis, vel intercedentis, bonum communitatis vel alicujus cauſæ piæ &c.

R. 2. Si inferior habens poteſtatem delegatam diſpenſandi in lege ſuperioris, diſpenſet ſine causâ, diſpenſatio non ſolùm eſt illicita, ſed etiam invalida. Unde peccat mortaliter tam diſpenſans, quàm diſpenſationem petens, eâve utens, ſi lex, in quâ diſpenſatur, obliget ſub mortali. Eſt communis: quia delegatus excedens limites commiſſæ poteſtatis nihil efficit: atqui præſumendum non eſt ſuperiorem committentem inferiori poteſtatem diſpenſandi concedere, ut id fiat ſine causâ. Ergo

Cæterùm ad tollendos ſcrupulos, obſervandum eſt, 1. ſi inferior Prælatus bonâ fide putet eſſe rationabilem cauſam diſpenſandi, cùm tamen non ſit ſufficiens, probabile eſt valere diſpenſationem, eo quòd tunc cenſeatur intervenire tacitus conſenſus Superioris. Ita Sanch. Azor, Rebel. & alii contra Salas, Pontium, &c. Adde eum, qui bonâ fide diſpenſationem petit propoſitis rationibus, quarum ſufficientiam relinquit examinandam ei, qui diſpenſat, obtentâ diſpenſatione, poſſe eſſe ſecurum in conſcientiâ, quamdiu manifeſtus error non intervenit. Vide Sanch. de matrimonio l. 8. diſp. 17. n. 9.

Secundò etiam probabile eſt non tantùm

validam, ſed etiam licitam eſſe diſpenſationem factam cum dubio de cauſæ ſufficientiâ, quia in dubio poteſt Prælatus inclinare in partem clementiorem. Silveſt. Sanch. Granad. &c.

Q. 8. *Quandonam ſubſiſtere debeat cauſa diſpenſandi, ut diſpenſatio ſuum habeat effectum?*

R. Si cauſa diſpenſandi ſubſiſtat, cùm commiſſarius v. g. Epiſcopus nomine Pontificis obligationem legis relaxat, poteſt quis diſpenſatione abſolutè factâ uti, quamvis cauſa ceſſet eo tempore, quo diſpenſatio mandatur executioni. Exempli causâ diſpenſatur cum aliquo, ut matrimonium ineat cum conſanguineâ, causâ legitimandæ prolis: ſi ante contractum matrimonium proles moriatur, poteſt nihilominus contrahi matrimonium, quia abſolutè ſublatum eſt impedimentum, & ſic de aliis. Ita Suar. Laym. Pontius, Præpoſ. contra Sanch. &c. ſi tamen impetratæ ſint litteræ, quibus Pontifex Epiſcopo, aut alteri committit, ut precum veritate inſpectâ diſpenſet, non poterit is diſpenſare, ſi cauſa ceſſarit, priuſquam commiſſionem ſuam ſit executus. Quòd ſi è contrà accidat, ut tempore faciendæ diſpenſationis, cauſa ſubſiſtat, ſed non ſubſtiterit tempore impetrationis litterarum, non poteſt diſpenſatio fieri à commiſſario, quia impetratio fuit ſubreptitia, & conſequenter nulla, ut jam dicetur.

Nota, ſi cum aliquo diſpenſatum ſit in re aliquâ dividuâ, ſeu per aliquod tempus diviſibiliter obligante v. g. in lege jejunii, recitandi Horas Canonicas, & ob morbum, ceſſante cauſâ, ceſſare diſpenſationem, niſi fortè data fuerit in perpetuum, ob periculum recidendi in idem incommodum.

Q. 9. *Quibus caſibus diſpenſatio cenſeatur ſubreptitia?*

R. Duabus ex cauſis generaliter poſſe eſſe ſubreptitiam. 1. Ob expreſſionem falſi. 2. Ob reticentiam veri.

Digitized by Google

Quoad primum, certum eſt diſpenſationem obtentam ex falsâ causâ eſſe ſubreptitiam, & invalidam, etiam in conſcientiâ. Si autem duæ cauſæ allatæ ſunt, una vera, altera falſa, & ea quæ vera eſt, non ſit per ſe ſufficiens, ut ex eâ ſoleat, vel poſſit diſpenſari, eſt ſubreptitia diſpenſatio: ſi utraque ſit per ſe ſufficiens, & ex circumſtantiis, vel conditione naturæ, vel ſtylo Curiæ Romanæ appareat eam, quę vera eſt, eſſe cauſam finalem diſpenſationis, aliam autem, quæ falſa eſt, eſſe tantùm impulſivam ad faciliùs concedendam, docet Sanchez, Layman, &c. contra nonnullos, valere diſpenſationem.

Quoad ſecundum, cùm reticetur qualitas, cujus expreſſionem jus, aut ſtylus Curiæ ſpecialiter requirunt ut neceſſariam, diſpenſatio eſt ſubreptitia, & nulla: idqúe, quamvis qualitas ignoranter omiſſa ſit, aut licet Princeps, qualitate cognitâ, nihilominus fuiſſet diſpenſaturus.

Quænam autem ſecundùm jura, & ſtylum Curiæ Rom. ſpecialiter exprimi debeant in petitione diſpenſationum, maximè ſuper impedimentis matrimonii, vide Layman. l. 1. tract. 4. c. 22. & alios paſſim, & quæ de his iterum dicemus in tractatu de Matrimonio.

Q. 10. *An, & quando licitum ſit uti Epiichiâ?*

Epiichia eſt benigna interpretatio, quòd caſus aliquis particularis, ob ſuas circumſtantias, lege univerſaliter latâ non comprehendatur. Differt à diſpenſatione, quòd per epiichiam non relaxetur obligatio, ſed declaretur reipſâ non inveniri in his, vel illis circumſtantiis, eo quòd lex ad talem caſum non extendatur; per diſpenſationem autem tollatur legis obligatio in caſu, in quo alioqui lex obligat, quantum eſt de ſe: unde ad diſpenſationem opus eſt legiſlatoris authoritate, cùm ſit actus juriſdictionis, non autem ad epiichiam, per ſe lo-

quendo. Nunc ad quæſt.

R. 1. Non tantùm licitum eſt, ſed & neceſſarium uti Epiichiâ, quando lex una ſervari non poteſt, niſi cum violatione alterius gravioris, ut ſi ejus obſervatio eſſet nociva Reip. aut conjuncta cum gravi damno, aut injuriâ tertii. Exemplum eſt apud S. Tho. q. 96. art. 6. ſi in aliquâ civitate ſtatuatur lex, ut portæ maneant clauſæ tempore obſidionis, & incidat caſus ſubitus, quòd hoſtis proſequatur aliquos cives, per quos civitas conſervatur: tunc enim poſſent portæ aperiri contra verba legis.

R. 2. Licitum eſt etiam uti epiichiâ, quando legis obſervatio, moraliter loquendo, eſt nimis gravis & difficilis in his circumſtantiis, v. g. ratione damni notabilis, gravis infamiæ &c. quia ordinariè non eſt mens legiſlatoris humani cum tanto incommodo obligare. Immò, quamvis incommodum non ſit adeò grave, quin ſuperior illo nonobſtante obligare poſſit, ſi tamen, habitâ ratione materiæ, & circumſtantiarum, appareat illum noluiſſe talem caſum comprehendere, poteſt adhuc locum habere Epiichia. Cavendum tamen in praxi, ne quis nimis facilè ſibi perſuadeat rationabilem eſſe præſumptionem de mente legiſlatoris, ubi reverà non eſt. Quare ſi res ſit alicujus momenti, & poſſit conſuli ſuperior, non licet omiſsâ viâ certâ, quâ poſſet conſtare de ejus voluntate, operari ſolùm ex probabilibus conjecturis.

Q. 11. *Quid Privilegium & quotuplex?*

R. Privilegium ex vi vocis, idem eſt ac privata lex. Definitur facultas conſtanter permanens à ſuperiore conceſſa faciendi contra, vel præter legem. Differt à diſpenſatione, quæ tantum eſt in ordine ad actum, vel caſum aliquem particularem, adeóque non eſt permanens, ſed tranſiens.

Dividitur 1. in reale & perſonale. Reale eſt, quod

conceditur directè alicui rei, muneri, vel conditioni diſtinctæ à perſonâ. Vel (quod idem eſt) quod alicui perſonæ conceditur ratione rei, muneris, conditionis. &c. Perſonale eſt, quod directè ipſi perſonæ conceditur ratione ſui, ſive in ejus favorem. Hinc perſonale affixum eſt perſonæ, & cum eâdem extinguitur. Reale autem affixum eſt rei, & cum eâ perſeverat & exſpirat. Ex quo fit, ut privilegium datum officio Epiſcopi, v. g. aut Abbatis, tranſeat ad Succeſſorem. Item conceſſum templo remaneat, ſi vetere deſtructo novum reædificetur, quia nempe conceſſum eſt loco.

Dividitur 2. in privilegium contra jus, ſeu contra legem, ut ſi cui concedatur exemptio ab oneribus communibus: & in Privilegium præter legem, cùm aliqua facultas conceditur iis, quibus de jure non competit, ſed ſine ullius præjudicio.

Prius eſt odioſum, ſeu ſtrictæ interpretationis: quia licet ſit favorabile privilegiato, eſt tamen odioſum, quatenus exorbitat à lege communi. Excipe niſi datum ſit in favorem cauſæ piæ publicæ, aut Communitatis Religioſæ, &c. aut etiam ex *motu proprio* Principis, & non ad inſtantiam, ſeu ad preces alicujus. Nam ly ex *motu proprio* indicat voluntatem Principis independentem à jure, precibus, &c. & ideò hæc ſunt amplè interpretanda.

Poſterius eſt latæ interpretationis, ſi in nullius cedat præjudicium; quia eſt beneficium Principis, quod pleniſſimè interpretari oportet. cap. *quia circa* de privilegiis, cap. *olim* de verborum ſignificatione &c.

Atque hæc de Legibus, & Præceptis. Quæ ſpecialiter ſpectant ad præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, dicentur commodiùs, agendo de virtutibus, quibus opponitur eorum transgreſſio.

TRACTATUS V.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, FIDE & SPE.

VIrtutes Theologicæ ſic dictæ, quòd habeant Deum pro objecto, ſunt tres: Fides, Spes, Charitas.

CAPUT PRIMUM.

De naturâ, & objecto Fidei Divinæ.

Q. 1. *Quid ſit Fides Divina, & quod ejus objectum materiale?*

R. Eſt aſſenſus certus, & obſcurus ob revelationem divinam. Objectum ejus materiale adæquatum eſt quidquid à Deo revelatum eſt, ſic tamen, ut ipſe Deus ſit objectum ejus principale, ſeu attributionis.

Q. 2. *Quodnam ſit objectum formale fidei?*

R. Eſſe primam Veritatem revelantem, ſeu (quod

in idem recidit) infallibile Dei teſtimonium: quærenti enim cur aliquid credatur fide divinâ, reſponderi debet, quia Deus, qui eſt prima Veritas, revelavit: ſeu breviùs, quia Deus dixit.

Ex duobus igitur integratur objectum formale fidei, nempe primâ Veritate, quæ nec falli poteſt, nec fallere, & externâ ejus revelatione. Ex quibus habetur ſumma certitudo myſteriorum fidei, quæ, quomodo conſiſtat cum ejuſdem fidei obſcuritate, explicant Scholaſtici.

Notandę interim hæ Propoſitiones damnatæ ab Innoc. XI. 19ª. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* 20ª. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habet ſupernaturalem.* 21ª. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitiâ tantùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non ſit locutus Deus.*

Q. 3. *An propoſitio credendorum, facta per Eccleſiam, pertineat ad objectum formale fidei?*

Nota duplicem hîc diſtingui Eccleſiæ authoritatem, nempe divinam, quam habet ob ſpecialem Dei aſſiſtentiam, ad res fidei definiendas ſibi infallibiliter addictam, & humanam, quam habet, quatenus eſt Congregatio hominum ſummâ ſapientiâ, ac ſanctitate illuſtrium. &c.

R. Propoſitio credendorum facta per Eccleſiam, ut habet authoritatem divinam, pertinet ad objectum formale fidei: quia, ſic ſpectata, eſt moraliter mediata Dei locutio; & Eccleſia ſic ſumpta eſt organum, per quod nobis loquitur Spiritus Sanctus. At propoſitio Eccleſiæ, ut habentis authoritatem tantùm humanam, non eſt objectum formale fidei (cùm non ſit metaphyſicè infallibilis, ſed ſolùm moraliter) ſed eſt illius applicatio, ut fuſiùs explicatur à Scholaſticis.

Q. 4. *An Deus aliquando mentiri poſſit, ſeu falſum affirmare?*

R. Nullo modo poſſe, etiam de potentiâ abſolutâ. Eſt certum contra Priſcillianiſtas, qui, teſte Aug. lib. contra mendacium, c. 2. aiebant Deum de facto in Scripturis eſſe mentitum. Item contra quoſdam Catholicos nominales apud Suarez, qui volebant, ſaltem de potentiâ abſolutâ, poſſe Deum affirmare falſum.

Prob. 1. ex Scripturâ, & PP. Numer. 23. *non eſt Deus ut homo, ut mentiatur, nec ut Filius hominis, ut mutetur.* Amb. Epiſt. 37. *impoſſibile eſt mentiri Deum.* Similia habent Scripturæ paſſim, & alii PP.

Prob. 2. ratione: quia veracitas æquè, ac immutabilitas, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ proinde Deo competit in gradu perfectiſſimo. Et verò, ſi Deus poſſet falſum affirmare, deſtrueretur fundamentum fidei noſtræ; unde enim conſtaret in revelandis fidei myſteriis non fuiſſe mentitum?

Q. 5. *An mendacium ſit intrinſecè malum?*

R. Aff. Ita Ariſtoteles 4. Ethic. c. 7. dicens mendacium *per ſe improbum eſſe, & vituperabile.* Ratio eſt, quia mendacium pervertit naturalem inſtitutionem, & finem locutionis, ad hoc naturis intellectualibus conceſſæ, ut poſſint inter ſe communicare ſenſus ſuos, & conſequenter evertat omnem communicationem, & ſocietatem hominum inter ſe: hinc nunquam licitum eſt mentiri, nec pro quocumque bono acquirendo, nec pro avertendo quocumque malo.

Q. 6. *An aliquando liceat uti reſtrictione mentali?*

Reſtrictio mentalis eſt, cùm verba exteriùs prolata falſum ſenſum reddunt, ſed conjuncta cum iis, quæ mente reticentur, faciunt ſenſum verum: ut ſi quidpiam interroganti, reſpondeas te neſcire ſubintelligendo, ut ei declares.

Duplex eſt: una purè mentalis, quę nullis cir-

cumſtantiis,aut indiciis exterioribus deprehendi poteſt. Altera non purè mentalis,quando verba exteriùs prolata adjunctas habent quaſdam circumſtantias ,ex quibus externa mentis reſtrictio facilè deprehendi poteſt. Hoc poſito.

R. 1. Non poteſt homo ullo caſu uti reſtrictione purè mentali. Eſt communior contra Navarr. Silveſt. &c. quorum ſententiam ait Lugo ſemper ſibi viſam eſſe duriſſimam. Ratio eadem eſt, ac de mendacio.

R. 2. Non videtur illicitum ex causâ rationabili uti reſtrictione non purè mentali. Eſt communis contra Cajet. Sotum &c.

Prob. Quia hoc modo non affirmatur falſum,ſed verum , quamvis obſcuriùs expreſſum , & ita, ut veritas ex circumſtantiis deprehendi poſſit.

Nec dicas ejuſmodi reſtrictiones repugnare ſocietati,ſeu commercio humano ; cùm potiùs ad illud ſint neceſſariæ: nam alioqui nullus erit modus licitè ſervandi ſecretum , & eludendi importunitatem hominum curiosè inquirentium de iis, quæ illos ſcire non expedit ; aut quæ ſine gravi incommodo revelari non poſſunt.

Porrò circumſtantiæ,quæ,ex uſu apud prudentes recepto , conſignificant , & ejuſmodi reſtrictiones ſufficienter indicant , ſunt , ſtatus Confeſſarii , Legati , Secretarii , & alia quęcumque obligatio, ſeu exigentia ſecreti.

Dices inter 65. Propoſitiones damnatas ab Innoc. XI. ſunt hæ duę : 26ª. *ſi quis,vel ſolus,vel coram aliis , ſive interrogatus ,ſive propriâ ſponte , ſive recreationis causâ , ſive quocumque alio fine, juret ſe non feciſſe aliquid,quod reverà fecit , intelligendo intra ſe aliquid aliud,quod non fecit , vel aliam diem ab eâ,quâ fecit , vel quodvis aliud additum verum , reverà non mentitur, nec eſt perjurus.*

Item hæc 27ª, *cauſa juſta utendi his amphibologiis*

(id eſt reſtrictionibus, ut patet ex præcedenti propoſitione) *eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.*

R. Propoſitiones iſtas damnari intellectas de reſtrictione purè mentali; neque enim aliter damnatæ ſunt, quàm *ſicut jacent*, ſeu ſumptæ univerſaliter, prout intelliguntur tam de reſtrictione purè mentali, quàm non purè mentali.

Propoſitio 28ª. damnata ab Innoc. XI. quæ ſic habet: *qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum (quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi) non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum*, verè ſcandaloſa eſt & pernicioſa, nec, qui juxta illam agit, excuſari poteſt à gravi peccato & perjurio, ut bene oſtendit Leſſ. l. 2. c. 42. dubit 9. n. 48. in fine.

CAPUT II.

De neceſſitate fidei

Q. 1. *An fides actualis ſit neceſſaria ad ſalutem?*

R. Aliqua fides actualis neceſſaria eſt neceſſitate medii reſpectu adultorum, ad juſtitiam conſequendam, ſi nondum eam acceperint, vel recuperandam, ſi ſemel acceptam, per peccatum amiſerint. Eſt omnium & certa. 1. Ex Script. Heb. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, &c.* 2. Ex Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ubi Baptiſmus dicitur *Sacramentum*

fidei,ſine quâ nulli unquam contigit juſtificatio.

Dixi 1. *reſpectu adultorum*, quia ſatis conſtat parvulos juſtificari per Baptiſmū, ſine fide actuali, cujus capaces non ſunt; quamvis non juſtificentur, aut ſalventur ſine fide habituali, quæ in ipsâ juſtificatione, ſimul cum gratiâ à Deo infunditur.

Dixi 2. *Ad juſtitiam conſequendam, vel recuperandam &c.* ut ſignificetur adultum, qui priùs non fuerit juſtificatus per Baptiſmum, non poſſe juſtitiam, adeóque nec ſalutem conſequi; aut ſi juſtitiam per Baptiſmum acceptam amiſerit, non poſſe illam recuperare abſque aliquâ fide actuali.

Q. 2. *An & quomodo fides actualis, neceſſaria ad ſalutem, debeat eſſe ſupernaturalis.* ?

R. Debere eſſe ſupernaturalem ex parte principii, & objecti. ita DD. communiter contra Vegam, qui l. 6. in Trid. c. 20. cenſet ſufficere merè naturalem, ſaltem in iis, qui invincibiliter ignorarent myſteria fidei, quæ ſententia paſſim rejicitur, & à multis habetur erronea, ex Cōciliis Arauſicano, & Trid. decernētibus hominē nō poſſe credere *ſicut oportet* (id eſt meritoriè in ordine ad ſalutem) ſine ſpeciali Spiritûs Sancti adjutorio.

Q. 3. *An ſufficiat fides comparata ex teſtimonio creaturarum manifeſtantium Dei exiſtentiam*, &c. ?

R. Non ſufficere, quamvis ipſa ſit ſupernaturalis ex parte principii, & procedens effectivè ab auxilio Dei ſupernaturali; ſed neceſſaria eſt fides ſtrictè dicta, quæ nitatur divinâ revelatione, per Eccleſiam propoſitâ, qualem habent fideles communiter. Hinc ab Inn. XI. damnata eſt hæc propoſitio, ordine 23ª. *fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit.*

Q. 4. *Quarum rerum fides explicita ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii?*

R. Pro omni tempore neceſſaria fuit, neceſſitate medii, fides explicita non ſolùm exiſtentiæ Dei,

ſed etiam Dei, ut remuneratoris.

Prob. Ex illo Heb. 11. *credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt*. Remuneratione utique non ſolùm temporali, in hâc vitâ, ſed maximè ſupernaturali in alterâ, de quâ ibi apertè agit Apoſtolus. Hinc iſto articulo continetur fides de Dei providentiâ bonos remunerantis, de immortalitate animæ, &c. Confirm. ex hâc propoſitione damnatâ ab Innoc. XI. *non niſi unius Dei fides neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicitè remuneratoris.*

Q. 5. *An poſt Chriſti adventum, & promulgatum Evangelium, neceſſaria ſit neceſſitate medii fides explicita myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis.*

Affirmant Valentia, Lorca, Granadus, Tannerus, & alii, negant Richardus, Medina, Sotus, Suar. Coninck. Ripalda, Lugo Arriaga. &c. docentes eum, qui hæc myſteria ignoraret inculpabiliter, adhuc poſſe ſalvari, modò ea credat implicitè, ſeu in voto, nempe in fide Dei remuneratoris, & in voluntate firmiſſimè credendi omnia, quæ Deus ad noſtram ſalutem revelavit.

Ut ut ſit, quia noſtra ſententia affirmans, eſt valde probabilis, & ſi vera ſit, nihil juvabit probabilitas oppoſitæ ſententiæ, ad ſalvandum eum, qui illa myſteria, etiã invincibiliter, ignoraret, ideò in praxi omninò ſuadenda eſt ea ſententia, & curandum, ut rudiores doceantur iſta myſteria. Et Confeſſarii, quando incidũt in pœnitẽtes, qui illa ignorant, illos inſtruant, quantum locus, & tempus patitur, ut eorum myſteriorum fidem explicitam eliciant ante abſolutionem, ſeriòque moneant, ut curent ſe inſtrui diligentiùs, quod maximè curandum eſt in periculo mortis, ne ſcilicet rudes moriantur, non priùs elicitâ fide explicitâ iſtorum myſteriorum.

Q. 6. *Quarum rerum fides explicita ſit neceſſa-*

Digitized by Google

ria neceſſitate præcepti, & qua notitia?

R. 1. Tenentur fideles ſub præcepto ſcire, & credere articulos fidei, qui in ſymbolo Apoſtolorum continentur, ſaltem quoad eorum ſubſtantiam: nam profeſſio Chriſtianæ Religionis exigit, ut non ignorentur, ſaltem præcipua ejus doctrinæ capita, ut ſunt ea, quæ pertinent ad Divinitatem, myſteria humanitatis Chriſti, ac redemptionis noſtræ, & ſtatum vitæ futuræ, quæ omnia ab Apoſtolis in ſymbolum collecta ſunt.

Dixi *ſaltem quoad eorum ſubſtantiam*: quia quædam circumſtantiæ, ut quòd Chriſti paſſio contigerit ſub Pontio Pilato, aut quòd ejus reſurrectio facta ſit die 3ª. &c. non cadunt ſub ſtrictam obligationem. Neque etiam, per ſe loquendo, gravis eſt obligatio ſciẽdi articulos eo ordine, quo poſiti ſunt in ſymbolo; ſed talis eſt, quòd de iis interrogati poſſint reſpondere; rudioribus tamen moraliter neceſſarium eſt, ut ſymbolum memoriter teneant, idque linguâ, quam norunt, quia aliter vix habere poſſunt notitiam ſufficientem myſteriorum.

Damnata eſt ab Innoc. XI. hæc propoſitio: *abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Item hæc: *ſufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.*

2. Tenentur fideles explicitè ſcire ſaltem tria ſacramenta, ſcilicet Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam. Quoad reliqua non videtur eſſe tam gravis obligatio iis, qui illa ſuſcepturi non ſunt.

3. Etiam tenentur fideles explicitè noſſe, ſaltem quoad ſubſtantiam, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, prout neceſſarium eſt ad eorum impletionem.

4. Majores in Eccleſiâ, ſive iis, quibus ex officio incumbit alios inſtruere, ut ſunt Epiſcopi, Parochi,

Concionatores, Confeſſarii, &c. ſub gravi obligatione tenentur habere notitiam rerum fidei, ſine quâ functiones ſui officii, ac ordinis rectè exercere non poſſunt. Per accidens tamen ſubinde fieri poteſt, ut in Epiſcopum licitè aſſumatur, qui ejuſmodi notitiâ careat, eo quòd v. g. neceſſarium ſit, ut Eccleſia habeat Epiſcopum potentem, & magnæ authoritatis. Quamquam & talis teneatur ſibi providere de conſiliariis idoneis, & ſibi procurare notitiam muneri ſuo convenientem, quantum poteſt, abſque gravi incommodo.

Q. 7. *Quandonam obliget præceptum eliciendi actum internum fidei?*

R. Per ſe loquendo infidelis ad id obligatur, quando myſteria fidei, cum motivis credibilitatis, ſunt ei ſufficienter propoſita: quia nempe tali caſu eſt moraliter impoſſibile omnē actum ſuſpendere, & conſequenter, niſi fidei aſſenſum præſtet, diſſenſurus eſt, vel dubitaturus cum injuriâ authoritatis divinæ, ſeu primæ Veritatis. Idem dicendum de fidelibus nondum inſtructis quamprimum, veniunt in cognitionem eorum, quæ credenda ſunt. Pueris tamen, qui inter Catholicos educantur, non eſt facilè movendus ſcrupulus, quia communiter non ſunt in morâ credendi, quamvis ſæpe non habeant initio, niſi fidem humanam, eo quòd non ſatis apprehendant, aut doceantur ea, quæ credunt credenda eſſe, tamquam à Deo revelata.

Per accidens autem tenemur ad eliciendum actum fidei variis caſibus, ut quando hoc eſſet neceſſarium ad reſiſtendum alicui gravi tentationi contra fidem, aut ad eamdem conſtanter profitendam coram tyranno. &c. Scrupuloſis tamen ſuadendum, per ſe loquendo, ut motus dubitationis, ſi quos pati videantur, contemnant, & imaginationem ad alia divertant.

An autem extra hos caſus per ſe loquendo obligentur

obligētur fideles ad actus fidei explicitos in decurſu vitæ, negant aliqui, eo quòd huic obligationi, quæcumque ſit, videatur ſufficienter ſatisfieri ex occaſione aliorum actuum ſupernaturalium, puta charitatis, contritionis, &c. qui variis occaſionibus eliciendi ſunt, nec elici poſſint ſine actu fidei, ſaltem implicito; ſed contraria opinio tenenda eſt. Ita Lorca, Valentia, & alii, idque probat conſtitutio Alex. 7. damnantis hanc propoſitionem: *homo nullo unquam tempore vitæ tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis. ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Item conſtitutio Innoc. XI damnantis hanc: *fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe:* & iſtam: *ſatis eſt actum, fidei ſemel in vitâ elicere.* Idem dici poteſt de obligatione actûs ſpei, & charitatis.

CAPUT III.

De Externâ confeſſione fidei.

Q. 1. *An aliquando liceat fidem negare?*

R. Negativè. Eſt de fide contra veteres quoſdam hæreticos dicentes eſſe licitum negare fidem in tormentis, dummodo in animo retineatur. Conſtat ex ſcripturâ. Matt. 10. *qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ex communi ſenſu Patrum, & perpetuâ Eccleſiæ traditione.

Q. 2 *An hâc in re uti liceat verbis ambiguis, æquivocatione, reſtrictione mentali?* &c.

R. Neque hoc eſſe licitum, quia in ſimilibus adhuc fit injuria Deo, & ſcandalum proximo.

Q. 3. *Quibus potiſſimùm modis cenſeatur fides negari, ſaltem implicitè?*

R. 1. Non tantùm fides negatur, cùm quis Chriſtum, aut aliquam fidei veritatem apertè negat, ſed etiam cùm negat ſe Chriſtianum, aut Catholicum, ſiquidem Chriſtiani nomine ex circumſtantiis contineatur profeſſio fidei Chriſtianæ.

2. Similiter fidem negaret, qui diceret ſe non eſſe Papiſtam, Romaniſtam, &c. Poſito quòd iſta idem valeant, ac nomen Chriſtiani, aut Catholici, etſi fortè ab hæreticis ſint inducta. Aliud eſſet, ſi quis ſolùm negaret certum vitæ genus, aut officium contentum in Religione Chriſtianâ. Ut ſi quis neget ſe eſſe Sacerdotem, Clericum, Religioſum, &c. Quia ſine tali gradu, aut vitæ genere ſtat integra fides.

3. Sicut non licet negare ſe Chriſtianum, ita nec dicere ſe Lutheranum, Calviniſtam, Mahumetanum, &c.

Q. 4. *An, & quomodo interdum liceat fidem, ſeu religionem ſuam occultare?*

R. 1. Tempore perſecutionis, per ſe loquendo, poteſt Chriſtianus ſe occultare, aut fugere, etiam è carcere, juxta illud Matt. 10. *cùm perſequentur vos in civitate iſtâ, fugite in aliam.*

Dixi *per ſe loquendo*, quia ſi ex fugâ tuâ ſequatur periculum perverſionis in proximo, cui ex officio teneris aſſiſtere, poſſet fuga tua per accidens eſſe illicita.

2. Si quis interrogetur an ſit Chriſtianus, aut Catholicus &c. tacere poteſt, vel interrogationem eludere, dicendo v. g. *quid ad te? quid tua refert?* &c. Si nullum inde ſequatur detrimentum honoris divini, vel ſcandalum proximi; ſecus ſi hæc ſequantur: Suar. Coninck. Palao. &c. Hinc, quia ordinariè non eſt tale periculum, quando interrogatio fit ab homine privato, regulariter ſic in-

terrogatus poteſt tacere, aut interrogationem eludere. Contrà, quia ordinariè tale periculum eſt, cùm interrogatio fit juridicè à perſonâ publicâ, communiter dicunt DD. tali caſu eſſe illicitum tacere, aut fidem diſſimulare, applicantes illud Chriſti, Luc. 9. *Qui me erubuerit*, &c. *hunc filius hominis erubeſcet.* Et verò ab Innoc. XI. damnata eſt hæc propoſitio: *ſi à poteſtate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe, non damno.*

Nec refert, quòd Tyrannus, aut alius judex non habeat ius de tuâ fide interrogandi, quia obligatio reſpondendi, tali caſu non fundatur in poteſtate judicis, ſed in jure, quod Deus habet, ne fides, vel ſuus honor detrimentum patiatur.

3. Si Tyrannus, vel Princeps hæreticus generali edicto conſtituat, ut, qui Chriſtiani ſunt, ſe prodant, vel aliquo ſigno diſtinctivo utantur, regulariter non tenentur ſe prodere; quia in illis circumſtantiis, qui non paret, non cenſetur fidem negare, ſed ſolùm occultare. Suar. Palao, &c. Eadē eſt ratio de eo, qui nominatim citatus à judice, comparere negligit. Ceterùm etiam in his attendendæ ſunt circumſtantiæ, & ideò dixi *regulariter.*

4. Si ſis in turbâ plurium fidem negantium, item ſi aliquis de te præſente dicat, quòd fidem abneges, non tibi licet tacere, ſed teneris contradicere, quia ſilentium in talibus circumſtantiis habetur pro conſenſu.

Q. 5. *An liceat fidem occultare per actiones ſignificativas falſæ Religionis?*

Eæ actiones ſunt duplicis generis: aliquæ enim ſunt, quæ vel ex naturâ ſuâ, vel ex communi hominum ſenſu ordinantur ad ſignificandum cultum religioſum, ut v. g. thus idolo adolere. Aliæ ſunt,

quæ ex naturâ ſuâ, & uſu communi per ſe primò ordinantur ad alium finem, quamvis 2ario, & ex ſpeciali quorumdam inſtituto, in quibuſdam circumſtantiis, etiam referantur ad cultum religioſum.

R. 1. Nullo caſu licitum eſt actiones primi generis, etiam ſimulatè exercere ad occultandam fidem. Hinc in veteri Eccleſiâ ſemper habitum eſt pro graviſſimo peccato, etiam ob mortis metum, thus Idolis adolere. Dum 4. Reg. 10. laudatur factum Regis Jehu, qui ſimulaverat ſe velle cum Prophetis Baal ſacrificare, ut eos occideret, non laudatur quoad omnes circumſtantias, & nominatim quoad illam ſimulationem, ſed tantùm quoad zelum, quo cultum Baal deſtruxit. Ita Aug. l. 2. contra mendacium c. 2.

R. 2. Licitum eſt quandoque ex causâ rationabili exercere actiones ſecundi generis, non tamen in iis circumſtantiis, in quibus cenſerentur eſſe profeſſio falſæ religionis. Cùm enim actiones iſtæ per ſe habeant alium finem honeſtum, vel indifferentem, & quidem primarium, poſſunt ad illum aſſumi, quamdiu non ſunt tales circumſtantiæ, ut ipſo exercitio cenſeantur ad cultum ſuperſtitioſum referri.

Coll. 1. Nunquam licere Catholico ſumere cœnam Calviniſticam, aut cum hereticis in propriis ipſorum cæremoniis communicare, v. g ſimul cum iis pſalterium canere, &c. Quia, qui hoc facit, præſumitur cum illis communicare in falsâ religione. Non videtur tamen illicitum (præſertim in regionibus, in quibus permixti ſunt hæretici cum Catholicis) præcisè ratione amicitiæ, eorum matrimoniis, aut funeribus intereſſe, non tamen cæremoniis, aut precibus eorum communicando, ſed tantùm eas ſpectando, tamquam nihil ad ſe pertinens.

Coll. 2. In quibuſdam circumſtantiis poſſe eſſe licitum intereſſe concionibus hæreticorum, ut ſi in iis locis, in quibus Catholici cum hæreticis permixti vivunt, Catholici eas abſque notâ ſubinde adire ſoleant v. g. ad confutanda falſa illorum dogmata: item ſi famuli, obſequii causâ, dominos comitentur, &c. Debet tamen abeſſe periculum perverſionis, & ſcandali. Nec probandum, ſi quis illas adeat ex ſolâ curioſitate.

Coll. 3. Si Princeps, aut Magiſtratus hæreticus edicto publico præcipiat omnibus ſuis ſubditis adire conventus hæreticorum, illicitum eſſe in eâ circumſtantiâ illos adire: quia tale edictum, & ejus obſervatio per ſe ſpectat ad promotionem, & favorem hæreſeos, ac Religionis Catholicæ injuriam. Et ita expreſsè declaraſſe dicitur Paulus V. in quodam motu proprio ad Anglos Catholicos. Et generaliter id dicendum eſt, quoties dictos hæreticorum conventus adire, cenſetur fidei defectio, aut ſaltem ſimulatio defectionis.

Coll. 4. Catholicum inter Hæreticos verſantem poſſe veſci carnibus in quadrageſimâ, aut alio tempore vetito, ſi ſubſit gravis cauſa, v. g. iminens vitæ periculum, ſi deprehenderetur eſſe Catholicus: quia talis comeſtio (quamvis fortè ingenerare poſſit opinionem, quòd non ſis Catholicus) ſecundùm ſe non eſt ſignum, aut tacita profeſſio hæreſis, cùm etiam apud Catholicos nonnulli ex intemperantiâ id faciant. Aliud eſſet, ſi quis adigeretur ad carnes edendas in contemptum Religionis. Non ſufficit tamen ad violandam legem Eccleſiaſticam v. g. prohibentem eſum carnium, quòd ab hæreticis timeatur aliqua irriſio, quamvis hoc caſu eſſet quidem peccatum contra præceptum eccleſiæ, non tamen profeſſio falſæ religionis.

Q. 6. *An ad occultandam fidem liceat uti veſtibus, vel ſignis propriis hæreticorum?*

R Multiplices eſſe ejuſmodi veſtes : nam 1. aliquæ ſunt propriæ quidem alicujus nationis infidelis, ſed quæ non aſſumuntur in ſignum religionis, ſed ad diſtinctionem nationis. Talis eſt vulgaris habitus Turcicus. Certùm eſt tales ex causâ rationabili poſſe aſſumi à Chriſtiano inter Infideles peregrinante, quamvis ab iis, qui illum non norunt, pro infideli ſit habendus, cùm ejuſmodi veſtes non ſint ſigna falſæ ſectæ.

2. Aliæ ſunt veſtes, quæ publicâ authoritate præſcribuntur hominibus certæ religionis, non ut hâc ratione profiteantur ſuam religionem, ſed ut eo ſigno diſtinguantur ab iis, qui ſunt alterius ſectæ. Talis eſt Romæ pileus flavus Judæorum.

Volunt aliqui non poſſe Chriſtianum ejuſmodi pileo uti Romæ, quia ibi pileus flavus tam eſt ſignificativus Judaïſmi, quàm verba, quibus quis diceret ſe eſſe Judæum. Banncz tamen, & Arragonius, Sanchez, Suar. Palao, & alii dicunt ex gravi causâ id poſſe eſſe licitum certis caſibus. v. g. in caſu, quo quis Romæ ob crimen ad mortem quæreretur, & pileum flavum aſſumeret ad evadendum.

Ratio illorum eſt, quòd in tali caſu quiſque prudens judicare debeat eum, qui utitur, non uti ad profitendum Iudaïſmum, ſed ad perſonam ſuam occultandam. Diſparitatem autem inter veſtes, & verba hanc adferunt Lugo, Coninck. &c. Quòd verba de ſe ſint tantùm ſigna, & per ſe ordinentur ad manifeſtationem veritatis, ita ut nullum alium uſum intrinſecum habeant; ac proinde qui dicit v. g. ſe eſſe Judæum, non poteſt non teſtari id, quod verba iſta ſignificant. At verò in veſtibus, quæ de ſe alium vulgarem uſum habent, poteſt talis uſus ab adjunctâ ſignificatione ſeparari, ſi eæ ſint circumſtantiæ, quæ apud prudentes talem ſignificationem elidant

3. Aliæ ſunt, quibus infideles utuntur non tantùm ut dignoſcantur tales, ſed ut religionem ſuam falſam palàm profiteantur.. Tales ſunt v. g togæ Bonziorum in Iaponiâ, & hæ non poſſunt aſſumi, quin hoc ipſo ſit quædam exterior profeſſio falſæ Religionis.

4. Denique ſunt veſtes, & alia ſigna, quæ ſolùm adhibentur ad exercitium actuale cultûs ſuperſtitioſi, ut ſunt ea, quibus utuntur ſacrificuli gentilium in ſuis ſacrificiis. Et de talibus communiter dicitur eorum uſum nullo caſu eſſe licitum, niſi fortè quis illis uteretur modo prophano, ita ut ex circumſtantiis palàm fieret, potiùs aſſumi ad contemptum ſuperſtitionis, quàm alio fine. v. g. in Theatro.

CAPUT IV.

De Infidelibus.

Vitia fidei oppoſita ſunt, Infidelitas, Hæreſis, & Apoſtaſia.

Q. 1. *Quotuplex infidelitas?*

R. Generatim eſſe triplicem; prima eſt *negativa* eorum, qui nihil unquam audiverunt de fide, aut non eo modo, quo res fidei eis redderentur ſufficienter credibiles. Hanc ait S. Tho. non eſſe peccatum, ſed pœnam peccati. Altera dicitur *contraria*, quâ quis fidem ſibi ſufficienter propoſitam contemnit, vel ei contradicit pertinaciter. 3. *Privativa*, eorum, qui culpabiliter ignorant res fidei, & voluntariè circa illas errant.

Infidelitas culpabilis dividitur in Paganiſmum, Iudaïſmum, & Hæreſim. Ad Paganiſmum redu-

cuntur Atheiſmus, & Mahumetiſmus: ad Hæreſim Apoſtaſia, à quâ differt in eo, quòd hæreſis tantùm ex parte, Apoſtaſia verò ex toto ſit contraria fidei. Iudaïſmus eſt eorum, qui admittunt tantùm vetus teſtamentum, & promiſſiones de Meſſiâ venturo, quem negant de facto jam veniſſe, ac proinde ſcripturas novi teſtamenti omnino rejiciunt.

Q. 2. *An infideles non baptizati poſſint cogi ad fidem ſuſcipiendam?*

Dicitur: *non baptizati*, quia conſtat ſemel baptizatos, cùm ſint ſubditi Eccleſiæ, cogi poſſe ad fidem ſuſcipiendam, & ſervandas leges Eccleſiaſticas, quamvis baptizati ſint in infantiâ, vel parentibus invitis, vel in adultâ ætate inviti ſecundùm quid, ſeu metu compulſi. &c.

R. Non poſſe cogi directè, ſive ſint ſubjecti principibus Chriſtianis, ſive non.

2ª. Pars patet ex illo Apoſtoli. 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare?* Et ex Trid. ſeſſ. 14. c. 2. ubi dicitur Eccleſiam in neminem judicium exercere, qui non priùs in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus.

Prob. 1ª. Pars ex Conc. Tolet. 4. Can. 55. ubi expreſsè præcipitur, ne Iudæis ad credendum vis inferatur. Et ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam tali coactione uſa eſt. Cur dixerim *directè* patebit ex jam dicendis. Plura de his in tract. de Baptiſmo.

Q. 3. *Quod jus habeat Eccleſia ad prædicationem Evangelii in terris infidelium?*

R. 1. Ius habet prædicandi Evangelii infidelibus, etiam invitis eorum Principibus, & Magiſtratibus. Ex illo Mat. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terrâ, euntes ergo docete omnes gentes* &c. Hinc ſequitur licere Principibus Chriſtianis (ſaltem jubente, vel rogante Pontifice) infideles prædicationi Evangelii injuſtè reſiſ-

Digitized by Google

tentes cogere ad non reſiſtendum, eoſque, ſi neceſſe fuerit, eo fine ſubjugare.

2. Poſſunt etiam infideles Eccleſiæ, vel Principibus Chriſtianis temporaliter ſubjecti, directè cogi ad audiendam prædicationem Evangelii, ſecus ſi iis ſubjecti non ſint.

1ª. Pars, quam tenent, Suar. Lugo, Oviedus, Arriaga, & alii communiùs, contra Palao & Coninck. Prob ex praxi Rom. Pontificum, qui ſub mulctâ cogunt Romæ Judæos ad prædicationem ſemel in hebdomadâ audiendam. Ratio eſt, quia prædicatio poteſt conſiderari ut aliquid pertinens ad bonum politicum, cùm ordinetur proximè ad tollendam ignorantiam circa veritates neceſſarias; neque ipſa de ſe, & intrinſecè ſit ſupernaturalis: ergo non excedit poteſtatem politicam. Quòd autem non poſſit Princeps Ethnicus ſimiliter ſuos ſubditos cogere ad audiendam prædicationem Gentiliſmi, non oritur ex defectu poteſtatis, ſed ratione materiæ, quæ turpis eſt.

2ª. Pars paſſim admittitur, quia Principes Chriſtiani nullam in tales habent juriſdictionem. Chriſtus quidem dedit Eccleſiæ poteſtatem ubique prædicandi, non tamen poteſtatem cogendi ad audiendum.

CAPUT V.

De Hæreſi & Apoſtaſiâ.

Q. 1. *Quid Hæreſis, & quæ ad illam requirantur?*

R. Hæreſis eſt error contra fidem cum pertinaciâ in eo, qui ſe Chriſtianum profitetur. Ita S.

Tho. & Theologi communiter. Unde ad illam tria requiruntur.

1. Ex parte intellectûs, judicium erroneum contra fidem; id eſt directè repugnans alicui veritati à Deo revelatæ, & ut tali ſufficienter propoſitæ. Hinc, ſi quis exteriùs ſolùm negaret fidem abſque judicio interno fidei contrario, non eſſet hæreticus, nec incurreret pœnas latas contra hæreticos, quamvis peccaret graviſſimè, & in foro externo præſumeretur hæreticus; & ut talis puniretur.

2. Ex parte voluntatis requiritur pertinacia, ſine quâ judicium erroneum contra fidem, etiam culpabile, non eſt hæreſis, juxta illud Aug. epiſt. 162. *qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atque perverſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt*, &c. *parati corrigi, cùm invenerint veritatem, nequaquam ſunt inter hæreticos computandi.*

Eſt autem pertinacia, de quâ hîc, efficax & deliberata voluntas diſſentiendi alicui veritati revelatæ, ut tali ſufficienter propoſitæ per Eccleſiam, vel Scripturam, vel aliam fidei regulam. Ita Sua. & alii ex Aug. l. 4. de baptiſmo c. 16. dicente: *nondum illum hæreticum dico, niſi manifeſtatâ ſibi doctrinâ Catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.*

3. Ex parte ſubjecti requiritur, ut errans circa aliquã fidei veritatem, ſe Chriſtianum eſſe profiteatur dicente Aug. l. 18. de civit. c. 51. *hæretici ſunt, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſtunt Chriſtianæ.* Hinc, ſi quis ita erret, ut jam nullo modo credat in Chriſtum, eſt quidem apoſtata (ſi Chriſti fidem aliquando ſuſceperit) ſubjacetque omnibus hæreticorum pœnis, non eſt tamen hæreticus.

Q. 2. *An error in materiâ fidei, procedens ex ignorantiâ graviter culpabili, ſufficiat ad hæreſim?*

℟. Non ſufficere. Eſt communis contra Sotum, & quoſdam alios.

Prob. Quia, qui tenet errorem, quem putat (quamvis culpabiliter) eſſe conformem doctrinæ Eccleſiæ, & paratus corrigi, ſi cognoverit Eccleſiam aliter ſentire, non eſt pertinax in errore contra fidem, adeoque non eſt hæreticus: peccat tamen graviter contra fidem, ſeu contra præceptum fidei de adhibendâ ſufficienti diligentiâ ad cognoſcendas fidei veritates. Imò putat Lugo diſp. 22. ſect. 6. peccatum errantis contra fidem ex ignorantiâ graviter culpabili, non differre ſpecie morali à peccato errantis cum ſcientiâ: hunc tamen dici hæreticum, non illum: quia ex circumſtantiâ ſcientiæ ejus error accipit longè majorem gravitatem intra eandem ſpeciem, ratione cujus ſpecialiter repugnat fidei, & vocatur hæreſis.

Coll. Ruſticos, alioſque rudes in Germaniâ, Angliâ, &c. qui errores à parentibus hauſerunt ab infantiâ, ſi ſolùm errent ex tali ignorantiâ, nec ſciant ſe ſentire contra doctrinam veræ Eccleſiæ, non eſſe formaliter hæreticos (quamvis errent ignorantiâ craſsâ, & graviter culpabili) & conſequenter excuſari ab excommunicatione, aliiſque pœnis, ſaltem in foro interno. Regulariter tamen tales meritò cenſentur hæretici, quia plerumque norunt ſe ſentire contra id, quod docet Eccleſia Catholica, cujus authoritas ſupponitur eſſe illis ſufficienter propoſita.

Q. 3. *An dubius in fide cenſendus ſit hæreticus?*

R. 1. Qui poſitivè dubitat de rebus fidei ſufficienter propoſitis, eſt formaliter hæreticus. Eſt S. Tho. & aliorum communiter, ex cap. 1. de hæreticis expreſsè dicitur: *dubius in fide eſt infidelis.*

Ratio eſt, quia talis judicat Eccleſiam non eſſe regulam fidei infallibilem, ſive iis, quæ ab illâ

proponuntur, ut fide credenda, fortè ſubeſſe falſum; qui eſt error contrarius fidei, & ſufficiens ad hæreſim.

R. 2. Etiam dubitans negativè, ſeu per meram ſuſpenſionem aſſensûs imperatam à voluntate propter motiva contraria, quibus deterrita imperat ſuſpenſionem judicii, eſt hæreticus. Lugo, Valentia, &c. contra Canum, Sanchez, Malderum, &c. apud Dianam. p. 2. tract. 2. miſcel. reſp. 53.

Prob. Quia talis virtualiter affirmat motiva contraria fidei eſſe tanti ponderis, ut faciant rem dubiam; quod perinde eſt, ac de veritate fidei poſitivè dubitare.

Dixi *per ſuſpenſionem imperatam à voluntate*, quia, qui cogitans de rebus fidei, intellectum ad alia diverteret, & ita aſſenſum ſuſpenderet, non deterritus motivis in contrarium, ſed præcisè ut intellectum rebus aliis applicaret, non eſſet propterea dubius in fide, aut hæreticus, ut clarum eſt.

Q. 4. *Quænam ſint pœnæ hæreticorum.*

R. De pœnis eorum civilibus, aut corporalibus ad nos non pertinet inquirere; pœnæ autem eorum ſpirituales ſunt hæ.

1. excommunicatio major ipſo facto incurrenda, & reſervata ſummo Pontifici, ex bullâ cœnæ. 2. Irregularitas. 3. Infamia juris. 4. Privatio bonorum Eccleſiaſticorum, &c. 5. Privatio juriſdictionis ſpiritualis. 6. Privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Porrò, ex dictis de legibus, ad has pœnas requiritur hæreſis externa. Item probabile eſt 2am, 3am, & 4am, non incurri, niſi ex hæreſi notoriâ. Ad 6am. autem requiritur ſententia declaratoria.

Nota has pœnas, ſaltem pleraſque, per eandem bullam cœnæ, extendi ad *Credentes* id eſt hæreticis quâ talibus aſſentientes, etiam in gene-

re. Quales ſunt v. g qui dicunt vera eſſe Lutheri, Calvini, &c. dogmata, quamvis in particulari neſciant quænam illa ſint.

Item ad *fautores*, qui aliquâ viâ illicitâ hæreticis favent, ut effugiant judicis manus, vel minùs, quàm par eſt, puniantur.

Receptores, qui hæreticum ut talem recipiunt in domum ſuam, agrum, civitatem, &c. ut manus miniſtrorum Eccleſiæ, & juſtitiæ evadat. Poteſt tamen amicus amicum hoſpitio excipere abſque eo, quòd has pœnas incurrat; quia id fit, ut amico, non ut hæretico.

Defenſores, qui viribus, & potentiâ eos defendunt, & impediunt ne in eos inquiratur &c.

Q. 5. *Quid ſit Apoſtaſia* ?

R. Eſt defectio à fide per baptiſmum ſuſceptâ. Punitur iiſdem pœnis, quibus hæreſis.

CAPUT VI.

De Libris hæreticorum, aliiſque prohibitis.

Q. 1. *An Catholicis liceat legere libros hæreticorum ?*

R. Etſi jure naturali non ſit univerſaliter prohibita lectio librorum hæreticorum, ſed tantùm iis, quibus ex eâ lectione imminet ſubverſionis periculum, ut ſunt rudiores, & in rebus fidei parùm inſtructi: jure tamen Eccleſiaſtico, ea lectio prohibita eſt Catholicis, tum per bullam cœnæ, tum in indice librorum prohibitorum.

Q. 2. *Qui libri ſint prohibiti per bullam cœnæ, & ſub quâ pœnâ ?*

R. Per bullam cœnæ excommunicantur excommunicatione majore ſummo pontifici reſervatâ, *quilibet hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes, ſine authoritate Apoſtolicæ Sedis, ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis causâ, publicè, vel occultè* &c. Quæ verba, cùm generalia ſint, comprehendunt quoſlibet, etiam Theologiæ Doctores, ac Profſſores quantumlibet eruditos, & firmos in fide, &c.

Ex his bullæ verbis quatuor in genere conditiones requiruntur ad dictam excommunicationem incurrendam.

1°. Eſt, ut ſit liber alicujus hæretici: circa quam notanda ſunt ſequentia. 1. Perinde eſſe ſive ſit liber impreſſus, ſive non impreſſus, ſed manu ſcriptus. Volunt aliqui, Suarez, Hugolinus, &c. ſub nomine libri, etiam venire brevem aliquam ſcripturam, v. g. epiſtolam, concionem, &c. quod negant Sanchez, Bonac. & alii.

2. Sufficere, quòd conſtet authorem eſſe hæreticum, nec requiri, ut ſit declaratus talis. Quòd ſi liber ſit compoſitus, & editus ab hæretico, antequam laberetur in hæreſim, vel poſtquàm reſipuit ab hæreſi, non eſt prohibitus vi bullæ. Quòd ſi conſtet eſſe compoſitum ante lapſum, & editum, dum eſſet hæreticus, putat Oviedus non eſſe habēdum pro hæretico, ſecùs ſi ſit compoſitus, dum eſſet hæreticus, & editus poſtquàm reſipuit.

3. Non fieri contra bullam, adeoque non incurri excommunicationem ab eo, qui hæreticorum verba legit in libro authoris Catholici, v. g. Bellarmini. Idem eſt ſi in libro authoris Catholici legantur adjecta ſcholia, vel annotationes authoris hæretici, niſi ſcholia tam magna eſſent, aut tam copioſa, ut ipſum textum ſuâ mole ſuperarent. Denique ſi in libro authoris Catholici

per ignorantiam, vel inconſiderationem aliqua hæreſis reperiatur, non idcirco cenſendus eſt liber per hanc bullam prohibitus.

2ᵃ. Conditio eſt, ut liber hæreſim contineat, vel de religione tractet; alterutrum enim neceſſarium eſt, & ſufficit. Hinc licet liber nullam hæreſim contineat, ſi tamen conſtet eſſe ab hæretico ſcriptum, & tractet de religione (id eſt) ſi ex profeſſo tractet v. g. de Scripturâ ſacrâ, Theologiâ ſcholaſticâ, vel morali, fidei controverſiis, de cultu Dei, officio boni Chriſtiani, aliiſve ſimilibus ad cōſcientiarū directionē pertinentibus) prohibitus eſt.

Item ſi liber ab hæretico ſcriptus de quâcumque aliâ materiâ, v. g. Grammaticâ, Rhetoricâ, &c. contineat vel unicam hæreſim, quamvis tantùm obiter inſertam, etiam eſt prohibitus per hanc bullam. Neque ſufficit per ſe loquendo errorem illum deleri propriâ authoritate, ut docent Suar. Sanchez, Palao, &c. poſſunt tamen ejuſmodi libri, de materiâ aliàs utili conſcripti, quibus tantùm obiter inſerti ſunt aliqui errores, licitè legi, poſtquàm authoritate inquiſitionis generalis à Theologo Catholico expurgati fuerint, juxta regulam 8ᵃᵐ. indicis Romani, editi ex decreto Concilii Tridentini. Circa hæc,

Notandum. 1. Ad hoc, ut aliquis liber dicatur tractare ex profeſſo de Religione, non eſſe neceſſe, ut totus ſit de iſtâ materiâ, ſed ſufficere ſi in libro indifferente agitetur aliqua materia ad religionem pertinens, expenſis rationibus, ſolutis argumentis contrariis, &c. 2. Si plures tomi ſcripti ſint ab eodem hæretico, in quorum unico continetur hæreſis, vel de religione tractetur, non hoc ipſo omnes tomi prohibiti ſunt per bullam. Sanchez docet unicum illum eſſe prohibitū. Suarez requirit, ut ſit diverſi argumenti ab aliis. Lugo dicit ſufficere, ſi tomi ſint inter ſe diviſi, tu ſunt

v. g. tomi Baronii. Oviedus diverſitatem tomorum petit ex eo, quòd habeant diverſos indices.

3a. Conditio eſt, ut liber ſcienter legatur, &c. ſufficit autem ſolo viſu percurrere abſque ullâ verborum pronuntiatione. Item ſatis eſt, vel ſolum proœmium, vel epiſtolam dedicatoriam, aut indicem, in ſufficienti quantitate legere, quia etiam hæ ſunt partes libri. Nec refert, quòd in eâ parte, quam legis nullus contineatur error, quia, libro prohibito, cenſetur quælibet illius pars prohiberi, præſertim cùm ejuſmodi prohibirio librorum, non tantùm fiat ad vitandum periculum perverſionis, ſed etiam in pœnam, ac deteſtationem hæreticorum. Poteſt tamen ex communi DD. excuſare à mortali, & conſequenter à cenſurâ, parvitas materiæ, contra Toletum, qui putat eſſe mortale, vel unicam lineam legere. Alii permittunt 4. aut 5. lineas citra mortale. Sanchez, Sa, Conink, Vivaldus, &c. dicunt unam paginam, etiam in folio, non ſufficere ad incurrendam excommunicationem bullæ, quæ tamen extenſio. Suari, Laym an, & aliis videtur nimia. Ex quibus videtur poſſe colligi parvitatem materiæ extendi non debere ultra 12. aut 15. lineas.

Requiritur etiam lectio libri cum intelligentiâ verborum; quia ſi quis legat librum ſcriptum eâ linguâ, quam nõ callet, non videtur vera, & formalis lectio, ſed tantùm materialis. Ita Suar. Sanch. filliuc. &c. diſſentientibus Silvio, Bonac. &c. Denique lectio fieri debet à ſciente librum eſſe hæreticum, &c. & ideò poſitum eſt ly *ſcienter*, unde non incurrit cenſuram, qui legit ex ignorantiâ, quòd liber contineat hæreſim, vel tractet de religione.

4a. Conditio eſt, ut liber legatur ſine authoritate, ſeu licentiâ Sedis Apoſtolicæ. Intellige vel ejus, cui Pontifex eam licentiam concedendi Poteſtatem commiſerit.

Qui

Qui ſciens, & volens audiret legi librum hæreticū, non hoc ipſo incurreret excommunicationem bullæ, quia audire, ibi ſiſtendo, non eſt legere, & verba legis pœnalis ſunt ſtrictè accipienda. Intellige, modò non ſit cauſa lectionis: quia, ſi curet alterum legere, ut ipſe audiat, probabile eſt incurrere cenſuram, non præcisè quatenus audientem, neque ut mandantem, & ita cooperantem peccato alterius, ſed quia, moraliter rem æſtimando, ipſe librum legit, quamvis per alterius miniſterium. Layman. Azor. &c.

Nota, in Bullâ haberi non tantùm *legentes*, ſed etiam ſcienter *retinentes*, *imprimentes*, *defendentes* &c. per ly *retinentes* intelliguntur tam qui apud ſe, quàm qui apud alium retinent. Idque, ſive ſint domini librorum, ſive non; item ſive illos intelligant, ſive non. In retentione tamen excuſare poteſt parvitas materiæ, ſeu brevitas temporis, ut ſi retineas tantùm ad unum, alterúmve diem: imò, ſi volens librum à te abdicare, exſpectes opportunitatem illum tradendi Inquiſitori, aut Epiſcopo, poteſt liber etiam longiore tempore retineri. Nec ſufficit propriâ authoritate librum comburere, ob Bullam Iulii III. jubentis tradi Inquiſitoribus. Non deſunt tamen, qui oppoſitum ſentiant, quorum ſententia videtur habere locum in noſtro Belgio, & alibi, ubi non ſunt Inquiſitores &c. ubi etiam ſatis receptum eſt, ut libri vetiti tradantur habentibus facultatem illos legendi.

Per ly *Imprimentes*, intelliguntur Dominus Typographiæ, vel faciens expenſas editionis ſuo nomine: qui ordinant characteres, qui aſſiſtunt prælo, & ipſe Author, ſi curaverit imprimi. Correctorem foliorum comprehendi negat Lugo, nempe ſub titulo imprimentis, quamvis comprehendatur titulo legentis.

Per ly *defendentes*, intelliguntur, qui librum

abſcondunt, ne ad Iudices deferatur; qui dicunt injuſtè damnatum, qui ejus doctrinam tuentur, &c. non tamen, qui tantùm laudant ſtylum, vel ingenium authoris &c.

Q. 3. *Qui libri ſint prohibiti in indice Rom. edito à Pio IV. & Clemente VIII.?*

R. 1. Omnes libri Hæreſiarcharum, cujuſcumque argumenti ſint.

2. Libri aliorum hæreticorum, qui de Religione ex profeſſo tractant, item alii quicumque hæreticorum libri, etiam non tractantes de Religione, niſi priùs à Theologis juſſu Epiſcoporum, aut Inquiſitorum, fuerint examinati, & approbati. Item Prologi, Summaria, Annotationes, quæ à damnatis Authoribus, libris Catholicorum adjecta ſunt, niſi eâdem authoritate expurgentur. Idem dicitur de variis libris etiam Catholicorum, in quibus aliqua falſa dogmata deprehenſa ſunt.

3. Denique additur hæc clauſula: *omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum regularum præſcriptum, aut hujus indicis prohibitionem, libros aliquos legere, aut habere: quòd ſi quis libros hæreticorum, vel cujuſvis authoris ſcripta, ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, legerit, ſive habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat &c.*

Circa hæc notandum 1. excommunicationem, de quâ hîc, non eſſe Pontifici reſervatam.

2. Videndum quouſque prohibitiones iſtæ in Provinciis receptæ ſint; nam, ut notat Layman, Index Romanus, quoad libros ſecundæ claſſis, non eſt receptus in Germaniâ.

3. Indicem in Belgio receptum eſſe eum, qui juſſu Regis Philippi II. publicatus fuit anno 1570. ad quem revocari debent variæ prohibitiones particulares, poſteà factæ variis temporibus, de quibus tamen difficilè eſt plenam habere notitiam,

Digitized by Google

cùm nuſquam ſint in unum collectæ.

4. Fuiſſe etiam in Belgio editum anno 1571. indicem expurgatorium librorum, multò aliis benigniorem, ejuſdem Regis juſſu, & authoritate Epiſc. Belgii, cujus expurgatione uti poſſunt Belgæ, quoad libros in eo contentos, niſi de novo aliqua ſint poſteà illis adjecta. Porrò in dicto indice, & quidē in primâ claſſe, expreſsè prohibentur opera Caroli Molinæi Iuriſtæ percelebris, ſed pernicioſi hæretici. Quare ab timoratis Iuriſconſultis, aliiſvé non leguntur in Belgio; niſi ritè expurgata.

Nota inſuper ab Alex. VII. damnatam eſſe hanc Propoſitionem: *libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſquedum adhibitâ diligentiâ corrigantur.*

CAPUT *VII.*

De naturâ, & objecto ſpei Theologicæ.

Q. 1. *Quid ſit ſpes Theologica?*

Nota ſpem genericè ſumptam eſſe deſiderium efficax boni ardui, abſentis, poſſibilis, probabiliter futuri, cum erectione animi adverſùs arduitatem, fundatâ in viribus propriis, aut alienis. Sumpta eſt hæc deſcriptio ex S. Tho. 1. 2. q. 40. art. 2. ubi ait: *ſpes eſt motus potentiæ appetitivæ, ſequens apprehenſionem boni, futuri, ardui, poſſibilis adipiſci.* Itaque ad actum ſpei in genere requiritur,

1. Ex parte objecti, ut illud ſit *bonum*, ſaltem in eſſe objectivo, ſeu repræſentato. Quod addo, quia ad ſpem in genere, non eſt neceſſe, ut ejus objectum ſit reipsâ bonum, & alias conditiones de facto habeat à parte rei, ſed ſufficit quod repræſentetur ut tale.

2. Ut ſit *bonum abſens*, quia bonum jam poſſeſſum non parit ſpem, ſed gaudium.

3. Ut ſit *arduum*, ſeu obtentu difficile, nam propriè non ſperatur, quod ſine difficultate obtineri poteſt, ſicut propriè non timetur, quod nullo negotio caveri poteſt.

4. Ut ſit *poſſibile adipiſci*. Quia nemo ſperat id, quod cognoſcit eſſe impoſſibile.

5. Ut ſit *probabiliter futurum*, quia nemo ſperat, quod certò ſcit non obtinendum, quamvis noſcatur eſſe abſolutè poſſibile.

6. Ex parte voluntatis requiritur *deſiderium efficax*, ſaltem ex parte eorum, quæ ſunt in poteſtate ſperantis.

7. *Erectio animi* adversùs arduitatem, ſeu quædam confirmatio appetitûs, quâ, nonobſtante objecti arduitate, confortatur, ne deſiſtat ab ejus proſecutione. His poſitis.

R. Spes Theologica eſt deſiderium efficax boni ſupernaturalis, præſertim beatificantis, abſentis, obtentu difficilis, probabiliter futuri, cum erectione animi adverſùs difficultates, fundatâ in auxiliis; & promiſſionibus divinis. Hæc eſt deſcriptio ſpei Theologicæ actualis. Spes habitualis ei reſpondens, eſt habitus ſupernaturalis iſtorum actuum elicitivus.

Q. 2. *Quodnam eſt objectum materiale ſpei Theologicæ?*

R. Objectum adæquatum, prout complectitur primarium, & ſecundarium, eſt vita æterna, & omnia, quę ad illam conducunt. Quæſtio maximè procedit de objecto primario, ſeu æternâ beatitudine: quæ, cùm importet ipſum Deum, & ejus poſſeſſionem, triplex eſt Theologorum ſententia.

Prima Caietani, Leſſii, Becani, &c. volentium eſſe ſolum Deum, ſic, ut fruitio ſolùm ſe

habeat per modum conditionis ſine quâ non.

2ª. Durandi docentis objectum ſpei immediatum eſſe ſolam Dei fruitionem.

3ª. Sti. Tho. Suaris, & aliorum communiſſimè, quam ſequimur, docet eſſe complexum ex beatitudine objectivâ, & formali, nempe Deo, & ejus poſſeſſione; ita tamen, ut in hoc complexo Deus ſit objectum principale.

Q. 3. *Quodnam ſit objectum formale* ?

R. Cùm ſpes Theologica ſit ſimul deſiderium efficax beatitudinis, & erectio animi adverſùs difficultates, duplex habet objectum formale, utrique illi actui reſpondens.

Quatenus eſt deſiderium, ſeu amor concupiſcentiæ, habet pro objecto formali bonitatem Dei reſpectivam: quatenus autem eſt erectio animi adverſùs difficultates, in iſtius boni proſecutione occurrentes, habet pro objecto virtutem Dei auxiliatricem, ſeu potentiam, miſericordiam, liberalitatem Divinam, &c. ſive Deum, ut per illa attributa auxiliatorem: & ita videntur conciliari poſſe DD. quorum aliqui pro objecto formali ſpei aſſignant bonitatem Dei reſpectivam; alii virtutem auxiliatricem. S. Thomas modò unam, modò alteram aſſignat, ac proinde dicendus eſt nobiſcum ſentire.

CAPUT VIII.

De Præcepto ſpei, & vitiis ei oppoſitis.

Q. 1. *Quandonam obliget præceptum ſpei?*

R. Præceptum ſpei aliud eſſe affirmativum de eliciendo actu ſpei, aliud negativum de non deſperando, &c. & hoc obligat pro ſemper, affirmativum verò per ſe, & ex vi præcepti ſpecialis, obligat ſaltem aliquando in vitâ; nam, ut antè dictum eſt de neceſſitate fidei, damnata eſt ab Alexandro 7. hæc propoſitio: *homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.*

Communis eſt opinio, quòd obliget per ſe, ſub initium uſûs rationis, quando quis eſt ſufficienter inſtructus de æternâ beatitudine, ad quam conditi ſumus, & de mediis ad illam aſſequendam neceſſariis. Item in fine vitæ, ac præterea aliquoties in vitæ decurſu. Quoties autem, aut quo præcisè tempore, non eſt determinatum.

Obligat autem per accidens, quando urget præceptum quarumdam virtutum, quæ exerceri non poſſunt ſine ſpe, ut ſunt actus orationis, pœnitentiæ, &c. Item quando quis graviter tentatur deſperatione, cum periculo conſenſûs, niſi tentationi reſiſtat per actum ſpei. Huc pertinet oratio Dominica, in quâ continentur ea, quæ à Deo petere, & ſperare debemus.

Q. 2. *Quæ ſunt peccata ſpei oppoſita?*

R. Duo eſſe præcipua, nempe præſumptionem,

& deſperationem. Primum per exceſſum, ſecundum per defectum.

Præſumptio, prout hîc ſumitur, eſt fiducia inordinata obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, ceteraque dona ſupernaturalia aliter, quàm ipſe ſtatuit eſſe obtinenda. Poteſt autem id contingere duobus modis.

1. Cùm quis inordinatè innititur propriæ virtuti, & viribus, ut ſi quis præſumat obtinere gloriam ex propris viribus, & per opera naturalia, ut faciebant Pelagiani.

2. Cùm quis inordinatè innititur potentiæ, ac miſericordię Dei, puta ſperando à Deo gloriam ſine bonis meritis, ut nunc faciunt Lutherani, aut exſpectando ex Dei miſericordiâ quidpiam excedens leges ordinarias divinæ providentiæ, ut ſi quis exſpectet in Cœlo gloriam, quantam habent maximi Sancti, aut B. Virgo. Huc etiam ſpectat illa præſumptio, quâ, nimiùm confidens de Dei miſericordiâ, ſtatuit perſeverare in peccatis, uſque ad finem vitæ, ſperans ſe in eo articulo, facilè veniam obtenturum. &c.

Coll. Præſumptionem ſæpe eſſe conjunctam cum infidelitate, ut patet in præſumptione Pelagianorum, & Lutheranorum. Aliquando tamen eſſe ſine infidelitate, ut patet in eo, qui ex præſumptione de Dei gratiâ differt pœnitentiam, uſque ad finem vitę, aut in eo, qui, ſtultâ perſuaſione, putat Deum erga ſe uſurum ſingulari privilegio, & majori, quàm erga cæteros.

Deſperatio eſt animi dejectio, quâ quis refugit beatitudinem proſequi, ex apprehenſione difficultatis, aut impoſſibilitatis illam conſequendi. Ita S. Tho. Suar. & alii communiter, qui contra Almaïnum volunt deſperationem conſiſtere in actu voluntatis. Hinc, cùm dicitur deſperatio eſſe actus intellectûs, quo homo judicat ſibi eſſe im-

poſſibile ſalvari, non adfertur ejus oppoſitio formalis cum ſpe, quæ eſt virtus voluntatis, ſed tantùm cauſalis, in quantum tollit ejus objectum.

Q. 3. *Quàm gravia ſint iſta peccata?*

R. 1. Peccatum præſumptionis ex genere ſuo eſt mortale, quia gravis eſt inordinatio, velle obtinere beatitudinem, &c. præter ordinem divinæ Providentiæ. Imò S. Tho. dicit eſſe peccatum in Spiritum Sanctum, quia per illam tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritûs Sancti. Hoc tamen maximè intelligendum eſt de præſumptione conjunctâ cum infidelitate: nam in aliis quibuſdam præſumptionibus, quæ poſſunt eſſe ſine infidelitate, notat Suar. fieri poſſe, ut ſit tantùm culpa levis.

R. 2. De peccati deſperationis gravitate dicenda ſunt ſequentia: ex S. Tho. q. 20.

1. Deſperationem eſſe peccatum ex genere ſuo mortale, quia, qui deſperat, perinde ſe habet, ac ſi crederet, Deum peccatori pœnitẽti gratiam denegare, aut nolle peccatores per ſuam gratiam ad ſe convertere, quòd valdè eſt injurioſum miſericordiæ Divinæ. Deinde quiſque tenetur ad beatitudinem tendere: qui autem deſperat, refugit proſecutionem beatitudinis.

2. Eſſe peccatum ex ſuo genere majus peccatis, quæ opponuntur virtutibus moralibus.

3. Odium Dei, & infidelitatem eſſe graviora ſecundùm ſuam ſpeciem, eo quòd ſint contra Deum, ſecundùm quod in ſe eſt: deſperatio autem, ſecundùm quod ejus bonum participatur à nobis. Ceterùm, quamvis odium Dei, & infidelitas ſint peccata graviora, deſperatio tamen ex parte noſtrâ pericloſior eſt, quia tollit omne remedium, & eſt cauſa plurium peccatorum.

4. Deſperationem poſſe eſſe ſine infidelitate:

quia non eſt neceſſe, ut qui deſperat, habeat judicium univerſale ſpeculativum, quo judicet Deum non remittere peccata pœnitentibus, aut nolle dare peccatori gratiam neceſſariam ad converſionem, ſed ſatis eſt, quòd habeat errorem practicum circa ſuam particularem ſalutem, ut quòd credat v. g. Deum non daturum ſibi auxilia efficacia, vel ſibi ſic affecto, media ſalutis eſſe nimis difficilia, nec ſe illis conſtanter uſurum, &c. quę poſſunt eſſe ſine infidelitate.

5. Deſperationem oriri partim ex Luxuriâ, in quantum homo deditus voluptatibus carnalibus faſtidit bona ſpiritualia, & non ſperat ea, quaſi nimis ardua & excellentia: partim, & ſpecialiùs, ex Acediâ, in quantum ex nimiâ animi dejectione, non inſurgit contra difficultates occurrentes in proſecutione boni ardui, nec æſtimat illud ſibi eſſe poſſibile. Huc etiam revocatur ea animi abjectio, quâ quis vellet bonis terrenis perpetuò frui; & cœleſtia Deo, ac beatis relinquere.

TRACTATUS VI.

De CHARITATE, ET VITIIS OPPOSITIS.

CAPUT I.

De naturâ, & objecto Charitatis.

Q. 1. *Quid ſit Charitas?*

R. Eſt virtus, quâ Deus propter ſe diligitur; proximus autem propter Deum. Eſt igitur duplex, nempe Charitas Dei, & Charitas proximi. Prior eſt amor amicitiæ, quo Deus propter ſe diligitur. Amor autem amicitiæ juxta Philoſophum, & S. Thomam eſt, quando aliquem ſic amamus, ut ei bonum velimus: quòd ſi non illi bonum velimus, ſed illius bonum ad nos ipſos referamus, ac potius nobis ipſis illud velimus; eſt amor concupiſcentiæ. Hinc Charitas, quâ Deo bonum volumus propter ſe, eſt amor amicitiæ, ſeu benevolentiæ: ſpes autem, quâ Deum amamus, tamquam nobis bonum, eſt amor concupiſcentiæ. Quando autem ex illo Dei amore, ſeu propter Deum, diligimus proximum, eſt Charitas proximi.

Coll. Objectum charitatis primarium, & attribu-

Digitized by Google

tionis eſſe Deum. Secundarium autem eſſe proximum. Quo nomine intelligitur omnis creatura intellectualis, prout nobiſcum participativa vitæ æternæ.

Sumitur ex Scriptura Matt. 22. *diliges Dominum Deum tuum &c. hoc eſt primum & maximum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, diliges proximum tuum ſicut teipſum.* De hoc objecto materiali dicetur infrà particulariùs. Nunc de objecto formali.

Q. 2. Quodnam eſt objectum formale charitatis?

R. Eſt infinita Dei bonitas abſoluta, ſeu quâ Deus in ſe bonus eſt. Prob. Quia charitas eſt amor benevolentiæ, quo volumus Deo bonum propter ſe: ergo motivum ejus formale eſt infinita ejus bonitas, ibi ſiſtendo, ſeu quatenus Deus eſt de ſe ſummè amabilis.

Nota tamen nomine bonitatis hîc, non ſolùm intelligi attributum ſpeciale bonitatis, quo Deus eſt ſui ſummè communicativus, ſeu propenſus ad benefaciendum; neque ſolùm eam perfectionem, quâ ſemper facit quod rectum eſt; ſed bonitatem hîc ſumi pro quâlibet perfectione Deo intrinsecâ, quâ Deus in ſe ſummè perfectus eſt, & ſummo amore dignus. Hinc objectum proprium charitatis ſunt omnes perfectiones divinæ, non neceſſariò ſumptæ collectivè, quatenus ex modo noſtro concipiendi, conflant unam ſummam perfectionem, & abſolutam in omni genere; ſed etiam quælibet Dei perfectio, in ſuo genere infinita, ſeorſim ſumpta, præſcindendo ab aliis, adeóque amari poteſt Deus actu charitatis juſtificativo, non ſolùm, quia eſt infinitè perfectus in omni genere, ſed etiam præcisè propter aliquam perfectionem in particulari, v. g. quia eſt infinitè ſapiens, infinitè juſtus, aut miſericors. &c.

Dices: ordinariè movemur ad amandum De-

um propter accepta beneficia, ergo ipſa ſunt objectum formale charitatis.

R. Diſt. Ant. Propter beneficia, ut motivum intrinſecum, N. ut motivum extrinſecum Ç. ſed nego conſequentiam: quia non aliter concurrunt beneficia ad actum charitatis, quàm extrinſecè, ſeu ad illum impellentia; eo modo, quo motiva credibilitatis extrinſecè concurrunt ad actum fidei, nitentem ſolâ Dei teſtantis authoritate, ut motivo intrinſeco. Et hoc ſenſu S. Tho. q. 23. art. 5. ad 2. dicit beneficia à Deo accepta eſſe rationes ſecundarias, ad diligendum inducentes; vel debitum dilectionis facientes: rationem autem diligendi principalem, eſſe ſolam Divinam bonitatem.

Q. 3. An charitas, ſive amor Dei ſupernaturalis, differat objecto ab amore Dei naturali?

Suppono dari poſſe duplicem Dei amorem, ſcilicet naturalem, & ſupernaturalem, quamvis Vaſquez 1. 2. Diſp. 195. duplicem illum amorem non admittat, eo quòd amor naturalis non differret objecto à charitate, quæ eſt virtus ſupernaturalis, proindeque negat poſſibilem eſſe amorem benevolentiæ erga Deum, qui non ſit charitatis infuſæ. Sed hanc opinionem communiter rejiciunt Theologi, præſertim in ſenſu à Baianis intento, qui ex falſo principio, quòd non poſſit homo creari, niſi propter Deum, ut finem ſupernaturalem, & cum ordinatione ejus ad vitam æternam, etiam negant eſſe poſſibilem alium Dei amorem, quàm ſupernaturalem. Et in hoc ſenſu damnata eſt hæc Baii propoſitio: *diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis ſcilicet, quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut glorificator, vana eſt, & commentitia.* Hoc ſuppoſito.

R. Objectum formale amoris Dei naturalis, &

ſupernaturalis, ſeu charitatis, diſtingui per ordinem ad diverſas cognitiones, illud proponentes: nam objectum amoris naturalis proponitur voluntati per cognitionem naturalem, at objectum amoris ſupernaturalis (eſto ſit idem intrinſecè cum objecto amoris naturalis) proponitur per cognitionem proportionatam, id eſt ſupernaturalem, nempe per actum fidei, quæ diverſitas propoſitionis redundat in diverſitatem actuum amoris. Hoc modo Deus habet rationem objecti ſupernaturalis, etiam ſecundùm ea attributa, quæ naturaliter cognoſci poſſunt: nam hoc ipſo, quòd objectum proponitur per fidem, induit aliquam rationem ſupernaturalitatis, ita ut actus amoris in illud tendens, non attingat illud abſtractè ſecundùm ſe, ſed prout propoſitum per fidem.

Collige Deum, ut author eſt bonorum ſupernaturalium, poſſe eſſe objectum amoris naturalis, & è contra, ut author eſt naturæ, poſſe eſſe objectum amoris ſupernaturalis, ſi nempe ut talis proponatur voluntati per actum fidei. Itaque, ſi quis Deum amaret, ut authorem bonorum tum naturalium, tum ſupernaturalium, cognitum talem mero lumine naturali, abſque prævio actu fidei, amor iſte non eſſet charitatis, nec meritorius vitæ æternæ, quia eſſet merè naturalis (quamvis nihil illi deeſſet ex parte objecti materialis & formalis) defectu ſcilicet propoſitionis objecti, quod utique non proponeretur per fidem, ſed per cognitionem naturalem.

CAPUT II.

De Præcepto Charitatis.

Q. 1. *An detur ſpeciale præceptum diligendi Deum actu interno?*

R. Aff. ex illo Deuter: 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ* &c. Quod præceptum Math. 22. dicitur *primum, & maximum*, quia nempe primò, & maximè per ſe præceptum eſt, adeo ut reliqua omnia præcepta eo fine dentur, ut hoc omni ex parte perfectè impleatur, juxta illud 1. ad Thimot. 1°. *finis autem præcepti eſt Charitas.*

Dices: hoc præcepto *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. & ſimilibus, ſolùm præcipitur, ut impleamus Dei mandata in Decalogo contenta: nam, ut oſtendunt Aug. & Bernardus, dilectio illa ex toto corde, ex totâ animâ &c. prout proponitur Deuter: 6. non eſt poſſibilis in hâc vitâ, ſed in alterâ tantùm. Verba Bernardi Serm. 50. in Canti.: ſunt hæc. *Charitatem in actu* (id eſt externam obſervationem mandatorum) *mandari ut meritum: charitatem autem in affectu*, de quâ hîc agimus, *dari in præmium.* Et infrà de hâc charitate in affectu ſic concludit: *quomodo ergo jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat?*

R. N. Aſſ. ad Aug. & Bernard. Dico ly *ex toto corde &c.* ab illis ſumi in ſenſu valde rigoroſo, & ſtrictiſſimo, ita ſcilicet, ut totus noſter affectus continěter feratur in Deũ, adeò ut nullâ ex parte, vel minimùm ab eo deviet, aliquid inordinatè amando: & hoc ſenſu verum eſt, non dari in hâc vitâ talem

amorem, niſi fortè ex ſpecialiſſimâ Dei gratiâ, ut in B. Virgine. Alio tamen ſenſu dicitur quis Deum ex toto corde diligere, dum eum appretiativè diligit ſuper omnia, ita ut ſit paratus pro ejus amore potiùs omnia perdere, quàm eum, ſaltem mortaliter, offendere: & hic eſt ſenſus illius præcepti, & ſic implendus præcipitur in hâc vitâ.

Q. 2. Quandonam obligat præceptum charitatis, ſeu diligendi Deum ſuper omnia?

R. Admodum varias eſſe hâc de re Doctorum opiniones. Nam 1. S. Tho. 1. 2. q. 89. art. 6. Docet quemvis hominem, ſtatim, atque ad uſum rationis pervenit, ita ut ſit capax peccati, etiam venialis tantùm, obligari ad Deum diligendum ſuper omnia. Et ex hoc principio probat peccatum originale non poſſe eſſe cum ſolo veniali.

2. Scotus docet adultos ad id obligari ſingulis diebus Dominicis, & feſtis.

3. Alii docent hoc præcepto obligari adultos, quando ſuſcipiunt Baptiſmum: alii quando ſumenda eſt Euchariſtia.

4. Alii putant hoc præceptum obligare quoties magnum aliquod, & ſingulare beneficium, à Deo accipimus: quando audimus aliquos blaſphemantes, aliamvè injuriam Deo inferentes: quando opus aliquod valde arduum, aut periculoſum, aut magni momenti ſuſcipiendum eſt; quando gravem patimur tentationem &c.

Dicendum videtur 1. non teneri hominem elicere actus dilectionis Dei ipſo ſtatim initio, quo pervenit ad uſum rationis. Ita Suar. Vaſq. Valent: Azor. Turrianus, Sanchez, Coninck. &c. Quia nullum eſt ſufficiens fundamentum, tam gravem, & in praxi difficilem obligationem adſtruendi.

2. Per ſe loquendo, non obligari ſingulis dominicis, & feſtis, nec quoties ſumit Euchariſ-

tiam : nec (ſuppoſitâ ſententiâ de ſufficientiâ attritionis) quando adultus ſuſcipit Baptiſmum, vel accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ. Quia neque eſt ſufficiens fundamentum iſtius obligationis.

3. Hominem per ſe obligari ad talem actum dilectionis Dei, cùm primùm habet ſufficientem cognitionem Dei, ut poſſit ejuſmodi actum elicere. Ita Valent. Coninck : quod tamen Coninck non putat ita intelligendum, quaſi homo peccet mortaliter, ſi ſtatim ejuſmodi actum non eliciat (hoc enim etiam putat nimis grave, nec ſufficienti nixum fundamento) ſed ut ſeclusâ omni ignorantiâ, & inadvertentiâ, nequeat ſine gravi peccato illum diu differre, v. g. ad annum.

4. Per ſe hominem teneri elicere actum dilectionis Dei circa mortis articulum. Et hoc quidem, non ſolùm, quando deeſt copia confeſſarii, & conſcius eſt peccati mortalis, ſed etſi ſacramentaliter ſit confeſſus. Ita Suares, Valent : Coninck, & Alii, contra Azor, Sanchez &c.

5. Hominem diu viventem, extra dictos caſus adhuc ſæpius per ſe teneri elicere actum dilectionis Dei, ita ut graviter peccet, ſi ſponte, & advertenter id diu differat, ita Palao, Coninck, qui dicit hunc videri ferè communem ſenſum Doctorum, paucis exceptis, quia nempe non videtur poſſe diu differri iſte actus, ſine contemptu divinæ amicitiæ. Quantum autem temporis exſpectari poſſit abſque peccato, ſaltem gravi, non poteſt præcisè definiri. Coninck putat peccaturum mortaliter, qui ad tres, aut quatuor annos illum differret : Palao cenſet dilationem trium annorum eſſe gravem, alii aliter.

6. Certum eſt hominem extra hos caſus ſępe per accidens teneri ad ejuſmodi dilectionis actum eliciendum : ut quando tenetur elicere actum contritionis, ex eo quòd ſibi conſcius pec-

cati

cati mortalis, teneatur conficere aliquod ſacramentum, nec habeat copiam confeſſarii: quandò quis credit id eſſe neceſſarium hîc & nunc ad vincendam gravem aliquam tentationem; vel ut ſufficienter animum diſponat ad arduum aliquod opus aggrediendum, vel ob alias ſimiles cauſas. Vide de his Coninck diſp. 24. dub. 2. & 3.

His addo aliquot hâc de re propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. inter 65. hæc eſt 5ª. *an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vitâ eliceret, condemnare non audemus. 6ª. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum. 7ª. tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus.*

Q. 3. *An detur præceptum diligendi proximum actu interno?*

R. aff. ex Math. 22. ubi Chriſtus cùm attuliſſet 1um. mandatum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. ſubjunxit, *ſecundum autem eſt ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut te-ipſum:* & ex illo Ioannis 15 *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.*

Nota inter 65. propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. hanc eſſe 10am. *non tenemur proximum diligere actu interno & formali* & hanc 11am. *præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

Q. 4. *An, & quâ ratione teneamur inimicos diligere?*

Per inimicos intelliguntur ii, qui nos oderunt, aut aliquâ injuriâ affecerunt &c. de quibus S. Tho. q. 25. art. 8. dicit eſſe de neceſſitate charitatis, ut diligantur, non quatenus ſunt inimici, ſed in quantum homines ſunt, & beatitudinis capaces. Addit hoc intelligendum de dilectione in uni-

verſali, ut ſcilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illâ generalitate dilectionis proximi, inimicos ſuos non excludat. Alioqui, per ſe loquendo, neceſſarium non eſſe, ut quis in ſpeciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: quamvis hoc ipſum neceſſarium ſit omnibus in præparatione animi, ſic videlicet, ut homo paratus ſit inimicum ſpecialiter diligere; ſi neceſſitas occurreret. Conformiter huic doctrinę.

R. 1. tenemur inimicos non tantùm non odiſſe, (odio ſcilicet propriè dicto, ſeu inimicitiæ) ſed etiam poſitivè diligere. Ex illo Math. 5. *diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Quibus verbis ex communi PP. & D.D. ſenſu apud Lorcam diſpu. 25. continetur verum præceptum. Immò, ut communiter docent Theologi, præceptum iſtud non tantùm eſt poſitivum, ſed & naturale.

R. 2. Eſt de neceſſitate præcepti exhibere inimicis effectus, & ſigna dilectionis, quæ exhibentur omnibus communiter, ſic nempe, ut inimici non excludantur, quando quis v. g. orat pro toto populo, aut aliquod beneficium impendit toti cõmunitati &c. non eſt tamen de neceſſitate præcepti exhibere inimicis ea beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis particulariter exhibet quibuſdam perſonis, niſi ſecundùm præparationem animi, ſi occurrat neceſſitas, juxta illud ad Rom. 12. *ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Quamvis hoc ipſum facere, etiam extra neceſſitatis articulum, pertineat ad perfectionem Charitatis. Ita S. Tho: art. 9.

Ex his ſequitur 1. eum, qui ab altero injuriam paſſus eſt, per ſe loquendo, non teneri illum ſalutare, aut alloqui, aut aliter in familiaritatem admittere, niſi eæ ſint circumſtantiæ, quibus horum omiſſio cenſeatur ſignum odii, aut vin-

dictæ. Unde regulariter teneris inimicum ſalutantem reſalutare, poteſtque hujus omiſſio eſſe peccatum grave; ut ſi ſpectatâ qualitate perſonæ, non reſalutare, cenſeatur gravis contemptus.

2. Teneri inimico veniam petenti non tantùm offenſam ex animo condonare, ſeu odium deponere (quod ſemper eſt neceſſarium) ſed etiam reconciliationis ſigna exteriùs exhibere. Excipe, niſi ſit v. g. Parens, aut Prælatus, qui quandoque poſſunt in ſubditos, à quibus offenſi ſunt, ſe implacabiles præbere, non ex odio, ſed correctionis causâ.

3. Non teneri tamen illi remittere ſatisfactionem debitam, ſive honoris, ſive pecuniæ: immò adhuc poſſe adverſùs illum actionem civilem, aut etiam criminalem inſtituere; quamvis quando aliter ſatisfactio obtineri poteſt, id poſſit eſſe contra charitatem. Ut ſi, inquit Suares, cùm notabili detrimento ſuo cogatur proximus leve damnum reſarcire. Addunt DD. eſſe periculoſum, & communiter diſſuadendum, ſi quis abſque ullâ ſuâ utilitate pœnam v. g. capitalem exigat, eo quòd ſpectatis hominum moribus, raro abſit odium, aut privatæ vindictæ cupiditas. Si tamen id fiat præcisè ex zelo juſtitiæ, ceſſetque ſcandalum, non videtur illicitum ex naturâ rei, præſertim ſi Reipublicæ interſit talia crimina impunita non manere. Vide Coninck, Laym. Tann. &c.

CAPUT III.

De ordine charitatis.

Q. 1. *An, & quâ ratione Deus ſit diligendus ſuper omnia diligibilia?*

R. Diligendus eſt magis, quàm cætera diligibilia appretiativè, non neceſſariò magis intenſivè.

Prima pars patet, quia majora illi bona velle debemus tum intrinſeca, tum extrinſeca, quàm nobis, aut proximis, & illum tenemur rebus omnibus affectu præponere, ita ut parati ſimus potiùs omnia perdere, quàm ab ejus amicitiâ diſcedere. Eſt omnium.

2ª. pars, quæ etiam eſt communiſſima contra Scot. Durand. & paucos alios, Prob. quia illa amoris excellentia, quâ debemus Deum ſuper omnia diligere, ſufficienter intelligitur haberi per majorem appretiationem; cùm major illa appretiatio ſit quædam perfectio ſubſtantialis, conſtituens actum in altiori quodam ordine, ad quem amor ſui, aut proximi, ut ſic, quantumvis intenſus, numquam poteſt pertingere.

Dices, non eſt tamen amor Dei perfectiſſimus, & ſuper omnia, ſi non ſit intenſior, quàm quilibet amor creaturæ: neque hoc eſt amare Deum ex toto corde, ex totis viribus &c.

R. N. aſſ. Quia, ut dixi, perfectio amoris Dei ſuper omnia conſiſtit in illius appretiatione ſuper omnia, neque plus requiritur ad implendum præceptum de amando Deo ex toto corde &c. quàm ut ſit amor ſufficiens, ad exactè ſervanda

Dei mandata, juxta illud Joan. 15. v. 10. *ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione meâ* & 1. Joan. 5. v. 3. *hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.* Et alibi ſæpe. Quòd autem ſæpe major ſit intenſio in amore creaturæ, oritur ex majori propenſione ſenſibili, quæ in nobis eſt, ad bona creata, & præſentia, quæ eſſe poteſt abſque inordinatione, & imminutione amoris Dei ſuper omnia.

Q. 2. *An, & quomodo quiſque teneatur ſeipſum magis diligere, quàm proximum?*

R. Quiſque abſolutè & ſimpliciter tenetur ſeipſum diligere magis, quàm proximum. S. Th. q. 26. art. 4. Patet ex Scripturâ Matth 22. & Levit. 19. ubi dilectio ſui proponitur, ut regula, & exemplar amoris proximi. *Diliges proximum tuum, ſicut te-ipſum.* In particulari ſervanda ſunt ſequentia,

1. In iis, quæ neceſſaria ſunt ad obſervationem divinæ legis, tenetur quiſque ſe magis, quàm alium quemlibet diligere, ita ut nequidem peccatum veniale liceat committere, etiam pro ſalute totius mundi. Et verò ſi liceret, hoc ipſo non eſſet peccatum. Nec refert quòd Deo objectivè magis placeat totum mundum ſalvari, aut hoc, vel illud grave peccatum ab alio non committi, quàm te abſtinere ab iſto peccato veniali: quia charitas in electione ſuâ non attendit propriè quid Deo magis placeat ſecundùm ſe, aut in abſtracto, ſed quid magis placeat Deo hîc & nunc à me fieri: magis autem Deo placet, ut abſtineam ab hoc peccato, quantùmvis levi, etiamſi ejus commiſſio futura eſſet occaſio boni majoris, & magis Deo placentis ſecundùm ſe.

2. Quiſque tenetur, abſolutè loquendo, ſibi potiùs optare, & procurare Dei gratiam, & animæ ſuæ ſalutem, quàm cuilibet alteri, aut etiam

toti mundo, juxta illud Matth. 16. *Quid prodeſt hominis ſi univerſum mundum lucretur*, &c Et ratio eſt, quia non poſſumus gratiâ divinâ, aut ſalute excidere, niſi peccando. Sunt tamen, qui probabiliter putant non eſſe illicitum affectu conditionato velle, etiam in perpetuum carere beatitudine, ſi id contingere poſſet abſque hominis peccato, ut alii plures ſalventur; & ita magis promoveatur Dei gloria. Ita Granadus &c. Quamvis alii putent oppoſitum eſſe conformius regulæ, & inclinationi charitatis. Et quod de Moyſe dicitur Exod. 32. & de Sancto Paulo ad Rom. 9, putant poſſe intelligi de morte temporali, vel dicta eſſe per exaggerationem.

3. Quoad augmentum meriti, & propriam perfectionem, numquam tenetur homo proximum ſibi præferre: quamvis enim ſæpe teneatur orationem v. g. & ſimilia pietatis exercitia omittere; immò certis caſibus etiam ingreſſum Religionis, ut aliis ſubveniat; non tamen inde per ſe ſequitur ejus detrimentum ſpirituale; quia ex unâ parte, relinquere orationem, aut Religionis ingreſſum, quem efficaciter deſideres, pro aliorum ſalute, eſt de ſe opus excellentis charitatis, & multum conducens ad propriam perfectionem: & aliunde poteſt homo, ſi velit, cum Dei gratiâ, etiam tali caſu, æquè, aut magis mereri, & ad excellentem ſanctitatem pertingere. Quòd ſi non faciat, non oritur ex ipſo præcepto, ſed ex hominis fragilitate. Et hoc ſenſu intelligendi ſunt varii DD. dum dicunt hominem ſubinde teneri pati aliquam jacturam ſpiritualem pro bono proximi.

4. Quiſque tenetur in extremâ ſpirituali neceſſitate proximi, bona temporalia, immò & ipſam vitam poſtponere illius ſaluti: ut ſi v. g. infans aliquis, alioqui ſit moriturus ſine Baptiſmo. Eſt

S. Tho. & aliorum communiter. Et ſumitur ex Scripturâ primæ Joannis 3. *debemus pro fratribus animas ponere* Auguſt. l. 1, de doctrinâ Chriſtianâ c. 27. docente debere quemlibet magis diligere proximum, quàm corpus ſuum. Et lib. de mendacio c. 6. *temporalem vitam ſuam pro æternâ vitâ proximi, non dubitabit Chriſtianus amittere.* Quod tamen intelligendum eſt in caſu, quo ſit ſpes certa proximum juvandi: nam ſi ſpes ſit incerta; monent DD. nos non teneri communiter vitam noſtram, ſaltem certo periculo exponere: niſi fortè quis, ratione officii, ad id obligetur, etiam cum probabili tantùm ſpe ſubveniendi, v. g Paſtor aut Prælatus reſpectu ſuorum ſubditorum. Quod tamen etiam limitant: niſi ejus opera ſit aliis pluribus magis neceſſaria. Hinc Paſtores, & alii curam habentes animarum tempore peſtis, vel perſecutionis &c. per ſe loquendo, non poſſunt deſerere ſubditos, ſed tenentur eis Sacramenta neceſſaria miniſtrare; nec poſſunt eâ occaſione officio ſuo renunciare, niſi ſit in promptu aliquis idoneus, qui defectum ejus ſupplere paratus ſit.

5. Licitum eſt aliquando vitam propriam exponere, pro ſervandâ vitâ alterius, etiam privati; non quidem ſpectando præcisè bonum vitæ proximi, quæ præferri non debet vitæ propriæ, ſed ad ſpeciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumſtantiis conſurgit ex alio titulo, qui prudenter cenſeatur bono vitæ propriæ prævalere. Ut v. g. ſi vitam exponas pro altero, cujus vita ſit multò utilior ad promotionem divinæ gloriæ; ſi pro parente, amico intimo, benefactore &c, ad inſigne teſtimonium pietatis, gratitudinis. Sicut autem id licitum eſt pro vitâ Principis, aut perſonæ valdè utilis Reipub. Ita non licet perſonæ valdè utili, vitam propriam exponere pro vitâ alicujus privati minùs utilis Reip.

Q. 3. *Quis charitatis ordo ſit ſervandus erga proximos?*

R. 1. Conſanguinei in neceſſitate ſunt aliis præferendi, quoad ſubſidium tum temporale, tum ſpirituale. Hinc graviter peccaret qui neglecto parente, vel filio, ſuccurreret extraneo, in pari neceſſitate tum corporali, tum ſpirituali: poteſt tamen juxta varios, inſignis benefactor, aut aliquis ſpiritualiter valde conjunctus præferri conſanguineis intra ſecundum gradum: immò juxta quoſdam etiam fratri; quod tamen poſtremum aliis videtur parùm probabile.

Specialiter quoad bona ſpiritualia, communior ſententia eſt parentes, per ſe loquendo, in neceſſitate præferendos ſpiritualiter conjunctis. Et idem eſt de filio carnali, comparato ad filium ſpiritualem. Hinc Parochus v. g. poteſt ac debet in neceſſitate potiùs ſuccurrere, per ſe loquendo, parentibus, aut filiis, ſi quos habet, quàm iis, quorum ſalutem procurat ex officio paſtorali. S. Thomas q. 26. art. 8. & S. Ambroſ. ab eo citatus, qui videntur ſignificare, filios ſpirituales præferendos eſſe quoad ſpiritualia, intelligi poſſunt ſecluſâ extremâ, aut gravi neceſſitate.

Excipiunt tamen aliqui ſuperiorem Religioſum, quem dicunt teneri in ſpiritualibus, & temporalibus, ſibi ſubditos præferre filiis, quos fortè antea ex conjugio ſuſceperit; quia cùm Religioſi in utriſque bonis ſeſe ſuperiori ſtrictiſſimè ſubmittant, debet illis eſſe, non tantùm pater ſpiritualis, ſed etiam in locum patris carnalis ſuccedere. Quoad conſanguineos collaterales faciliùs poſſunt ſpiritualiter conjunctis in ſpiritualibus poſtponi.

R. 2. cum S. Th. art. 9. & ſeq. inter conjunctos carnaliter, hunc ferè dilectionis ordinem eſſe ſervandum: 1. parentibus priùs ſuccurrendum, quàm filiis in articulo neceſſitatis. 2. Patrem ma-

tri præferendum. 3. Parentes uxori. 4. Benefactorem beneficiato. Et hæc doctrina communis eſt inter Theologos, niſi quòd nonnulli putent matrem patri præferendam; & poſſit ſaltem inter illos ordo inverti, abſque gravi peccato. An uxor filiis in neceſſitate ſit præferenda, an contrà, variant ſententiæ.

Nota hæc eſſe intelligenda, per ſe loquendo, & cæteris paribus; item, ut dixi, *in articulo neceſſitatis.* Nam extra extremam, & fortè etiam gravem neceſſitatem, potiùs providendum filiis & uxori, quàm parentibus. Conformiter ad illud Apoſt. 2.Cor. 12. *non debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis.*

CAPUT IV.

De Eleëmoſynâ.

Hic eſt unus è præcipuis actibus exterioribus charitatis erga proximum, de quo agit S. Tho. q. 32. porrò eleëmoſynæ nomine latiùs accepto intelligi poſſunt omnia opera miſericordiæ, tum corporalia, tum ſpiritualia. Unde S. Tho. art. 2. enumerat 7. eleëmoſynas corporales, quæ ſunt: *Viſitare infirmos, potare ſitientes, paſcere eſurientes, redimere captivos, veſtire nudos, colligere hoſpites, ſepelire mortuos.* Item 7. eleëmoſynas ſpirituales, quæ ſunt: *docere ignorantem, conſulere dubitanti, corrigere peccantem, conſolari triſtem, remittere offendenti, ferre oneroſos, & graves, & pro aliis orare.*

Hìc agemus præſertim de eleëmoſynâ corporali; quamquam quæ de illâ dicentur, applicari

etiã poſſint cum proportione eleëmoſynæ ſpirituali.

Q. 1. *An detur præceptum eleëmoſynæ, & quando obliget.*

Nota 1. diſtinguendam hîc eſſe triplicem proximi neceſſitatem, ſcilicet extremam, gravem & communem. Extrema eſt quando proximus incurrit periculum vitæ, gravis mutilationis, aut alterius mali æquivalentis, niſi ei ſubveniatur. Gravis eſt, quando incurrit periculum gravis damni in corpore, famâ, bonis fortunæ, aut ne ſtatu, vel dignitate excidat. Communis eſt, qualem communiter patiuntur ii, qui mendicando vitam ſuſtinent.

Nota 2. non cenſeri proximum eſſe in neceſſitate reſpectu noſtri, quando ſcimus alios ei ſubventuros. Item non ſemper ſufficere teſtimonium ipſius pauperis de ſuâ indigentiâ, ſed hoc pendere ex circumſtantiis, & prudenti judicio.

Nota 3: bona, de quibus hîc quæritur, eſſe triplicia. 1. enim quædam ſunt neceſſaria naturæ; illa nempe, ſine quibus vita noſtra ſuſtentari non poteſt. 2. Quædam ſunt ſuperflua naturæ, ſed neceſſaria, ſive ſtatui, in quantum ſine illis non poteſt quis vivere convenienter ſuo ſtatui. Et hæc iterùm ſunt duplicia: quædam enim ſunt neceſſaria ad ſtatum ſimpliciter, quædam ad ſtatûs decentiam. Pro quibus non ſolum attendenda eſt hominis conditio præſens, ſed etiam ſpectanda, quæ probabiliter eventura ſunt. Sic enim aliqua reſervari poſſunt, ut occurratur neceſſitati probabiliter eventuræ ex morbis, bellicis caſibus &c. Itemq; ad liberos, in ſtatu collocandos, aut etiam ut aſcendas ad ſtatum altiorem, ſi ad id aliunde ſit propinqua ſpes. 3. Quædam ſunt ſuperflua ſimpliciter, quæ neque naturæ, neque ſtatui, aut ejus decentiæ neceſſaria ſunt. His prænotatis.

R. 1. Datur præceptum, tum poſitivum, tum naturale, dandi eleëmoſynam. Poſitivum quidem

Digitized by Google

ut patet ex pluribus Scripturæ locis, & nominatim Mat. 25. ubi condemnantur, qui illam non fecerint. *Ite maledicti in ignem æternum, eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare. &c.* Naturale verò, quia lumen naturæ dictat amandum eſſe proximum, adeoque & illi ſuccurrendum in neceſſitate.

R. 2. Nemo tenetur etiam extremè indigenti, eleëmoſynam facere de iis, quæ reſpectu ſui ſunt neceſſaria naturæ, modo explicato: niſi fortè, ut ait ſanctus Tho. eſſet magna perſona, per quam Eccleſia, vel Reſpublica ſuſtentaretur. Patet ex dictis de ordine charitatis.

R. 3. Tenetur quilibet in extremâ proximi neceſſitate, ei ſubvenire non tantùm de ſimpliciter ſuperfluis, ſed etiam de aliquo modo ſuperfluis ſtatui, ut ſunt ea, quæ tantùm ad quamdam ſtatûs decentiam neceſſaria ſunt, aut quæ ſtatum non notabiliter imminuunt.

Ratio eſt, quia charitas poſtulat, ut vitam proximi magis amemus, quàm aliquam vitæ propriæ commoditatem. Et hoc etiam cum proportione dicendum de neceſſitate gravi, etſi non extremâ; alioqui enim vix ullus teneretur ſuccurrere graviter indigenti, cùm pauci ſint, qui habent abſolutè ſuperflua in ſenſu explicato. Hoc autem eſt contra decretum Innocentii XI. damnantis hanc propoſitionem, inter 65 duodecimam: *vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleëmoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.*

R. 4. Probabilius eſt eſſe obligationem gravem, faciendi eleëmoſynam de abſolutè ſuperfluis in communi pauperum neceſſitate, ita ut dives peccet mortaliter, ſi habens hujuſmodi ſuperflua, nullas, aut nimis modicas faciat eleëmoſynas. Eſt

comunis Doctorum contra quoſdam, quorum ſententiam Suares dicit non eſſe admodùm ſecuram. Et verò Scriptura agens de præcepto eleëmoſynæ, numquam illud reſtringit ad extremam, aut gravem neceſſitatem: neque hæc verba Mat. 25. *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.* &c. important ejuſmodi neceſſitatem extremam, aut gravem. Hinc S. Tho. q. 118. art. 4 ad 2um. dicit hominem teneri ſub peccato mortali dare eleëmoſynam, vel *propter periculum neceſſitatis, vel propter ſuperfluitatem habitorum.* Quo ſenſu etiam accipiendum eſt, quod hîc docet art. 5. in fine Corp. ſcilicet eſſe in præcepto dare eleëmoſynam de ſuperfluo, & dare eleëmoſynam ei, qui in extremâ vel (ut loquitur ad 3um.) in urgente neceſſitate. Quæ verba accipienda ſunt non copulatim ſed copulativè, ſeu diviſim, ut rectè Cajet. Hoc etiam ſenſu accipiendum eſt, quod paſſim dicunt PP. ſuperflua eſſe pauperum, hoc ipſo, quòd ſuperflua ſunt. Baſilius ſerm. ad divites avaros: *eſt panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam conſervas.* Quæ verba S. Tho. explicat ſenſu allato. Hieron. relatus, Can. *hoſpitale* diſt. 42. *aliena rapere convincitur, qui ultra neceſſaria ſibi retinere probatur*

Q. 2. *An præcepto eleëmoſynæ ſatisfiat per mutuum, venditionem, aut alium contractum oneroſum?*

R. 1. Si proximus in aliquâ extremâ neceſſitate non egeat rei conſumptione, ſed tantùm ejus uſu, v. g. equo ad fugiendum hoſtem; non teneris rem, ſed tantùm ejus uſum ei concedere. Item ſi proximus ſit tantùm pauper ſecundùm quid, v. g. quia habet alibi bona, vel certè ſpem proximam bona acquirendi ex ſucceſſione, vel ex induſtriâ propriâ &c. ſatisfit ei mutuando, vendendo &c. id, quo indiget.

R. 2. Si proximus ſit abſolutè pauper, & verſetur in extremâ neceſſitate, probabilius eſt non

ſatisfieri præcepto per mutuum, aut alium contractum oneroſum, ſed eſſe obligationem illi ſubveniendi per abſolutam, & gratuitam donationem, qualem ſcilicet tum Scriptura, tum PP. videntur in propoſito exigere; id enim ex uſu ſignificatur nomine eleëmoſynæ, cùm, propriè loquendo, non dicatur eleëmoſynam facere, qui aliquid vendit, aut mutuat indigenti. Adrianus tamen, Navarrus, Toletus, Leſſius, docent poſſe huic præcepto ſatisfieri, per mutuum, ſaltem conditionatum; ut ſi indigens aliquando ad lautiorem fortunam devenerit, teneatur reddere.

Q. 3. *An extremè, vel graviter indigens poſſit ſurripere rem, quâ indiget?*

R. 1. Id licere in extremâ neceſſitate, dummodò prudenter putetur, rei Dominus eam negaturus, ſi peteretur; & per hanc acceptionem non redigatur ipſe in ferè ſimilem neceſſitatem, S. Tho. art. 7. ad 3. & alii cum eo communiter. Fundamentum eſt, quòd rerum diviſio jure gentium ab initio introducta, non potuerit præjudicare juri naturali, quod quiſque habet ſibi providendi in extremâ neceſſitate de iis, quæ ad hunc finem producta ſunt ab Authore naturæ. Unde qui rem alienam tali modo conſumpſit, non tenetur poſtea factus ditior illam reſtituere in æquivalenti; niſi, ut antè dixi, eſſet tantùm pauper ſecundùm quid, aut niſi res eſſet extraordinariè pretioſa. &c.

R. 2. Id non eſſe permiſſum univerſaliter in neceſſitate gravi: nam per conſtitutionem Innocentii XI. damnatur hæc propoſitio inter 65. 36ª. *permiſſum eſt furari, non ſolùm in extremâ neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Alioqui enim cùm neceſſitates aliquo modo graves, valdè frequentes ſint, eſſent perpetua furta, cum magnâ Reip. perturbatione.

Q. 4. *An poſſit fieri eleëmoſyna de bonis illicitè acquiſitis.*

R. Cum S. Th. art. 7. de acquiſitis opere illicito, vel meretricio, ubi ipſa acceptio non eſt ſecundùm ſe illicita, fieri poſſe eleëmoſynam; quia nempe tunc acquiritur rei dominium; non poſſe verò eleëmoſynam fieri, quando ipſa acceptio eſt ſecundùm ſe illicita, ut contingit v. g. in furto, rapinâ, uſurâ, &c. quia tunc eſt obligatio reſtitutionis. Addit tamen S. Th. ad 3. in caſu extremæ neceſſitatis, (in quo omnia cenſentur communia) poſſe, qui rem alienam detinet, eam inſumere, ad ſui, & aliorum ſuſtentationem, ſi aliter ſubveniri non poſſit neceſſitati.

Q. 5. *An is, qui eſt in poteſtate alicujus conſtitutus, poſſit facere eleemoſynam?*

R. cum eodem S. Th. art. 8. non poſſe de iis bonis, in quibus alteri ſubditur, niſi quatenus ei à ſuperiore expreſsè, vel tacitè permiſſum eſt.

Collige cum eodem 1. Religioſum, qui nullam habet adminiſtrationem, non poſſe facere eleëmoſynas, abſque tacitâ ſaltem Superioris permiſſione, qualis v. g. cenſetur haberi, ut Religioſus iter faciens, aut in ſtudiis verſans, faciat quaſdam modicas eleëmoſynas; niſi tamen conſtet de contrariâ Superioris voluntate. Si autem habeat aliquam adminiſtrationem ſibi à Prælato commiſſam, poteſt eas eleëmoſynas facere quas, vel regula, vel conſuetudo permittit, quamvis ea poteſtas reſtringi poſſit à ſuperiore, niſi habeat aliquod Beneficium cum plenâ adminiſtratione.

2. Uxorem per ſe loqnendo, nonpoſſe de bonis communibus extraordinarias eleëmoſynas facere, ſine conſenſu mariti ad quem pertinet eorum borum adminiſtratio; poteſt tamen etiam eo invito vulgares, & modicas facere, eo modo, quo

Digitized by Google

ſolent aliæ fœminæ ejuſdem conditionis, & fortūnæ; quia id cenſetur pertinere ad honeſtam ejus ſuſtentationem.

Poteſt etiam liberè diſponere de iis bonis, quæ per contractum matrimonialem ſpecialiter ſibi reſervavit, aut de iis, quæ labore extraordinario, & indebito lucrata eſt, niſi obſtet Regionis conſuetudo.

3. Idem dicendum de filiis-familias (& à fortiori de famulis, & ancillis) quoad ea bona, in quibus ſubditi ſunt parentibus, poſſunt tamen de bonis Caſtrenſibus, aut quaſi Caſtrenſibus pro arbitrio eleëmoſynas facere.

Q. 6. *Quibus potiſſimùm facienda ſit eleemoſyna?*

R. S. Th. art. 9. cæteris paribus, faciendam potiùs propinquioribus, quàm extraneis, juxta dicta ſuprà de ordine charitatis. Et art. 10. dicit meliùs eſſe pluribus indigentibus largiri aliquid, quàm aliquem ditare.

Q. 7. *An is, qui fingit ſe pauperem, cùm non ſit, poſſit retinere id, quod accepit titulo eleemoſynæ?*

R. Non poſſe, per ſe loquendo, ſed teneri donanti reſtituere, eo quòd ex communiori, talis donatio non ſubſiſtat deficiente motivo ſubſtantiali. Si tamen erat verè pauper, ſed tantùm finxit majorem paupertatem, poteſt communiter rem datam retinere, niſi ex rei quantitate, aut conditione perſonæ colligi poſſit donatorem in talem donationem non conſentire, niſi illâ ſpeciali circumſtantiâ ſubſiſtente: ut in caſu, inquit Granadus, quo alicui v. g. donarentur 100. aurei, quia fingit ſe Epiſcopum ab hæreticis vi expulſum.

CAPVT V.

De Correctione Fraternâ.

DE hâc agit S. Tho. q. 33. & notat correctionem delinquentis in genere eſſe duplicem: unam, quæ præciſè ordinatur ad emendationem, & bonum ipſius peccantis, & hæc dicitur correctio fraterna, quæ eſt actus charitatis, & poteſt à quocumque exerceri, etiam ab inferiore erga ſuperiorem, ut patet exemplo Pauli corripientis Petrum ad Gal. 2. Ad hanc reduci poteſt illa correptio, quâ v. g. blaſphemantem, aut de proximo detrahentem corripimus, non ut emendetur (ſi nulla ſit ſpes emendationis) ſed ut Dei honorem, aut proximi famam, quantùm in nobis eſt, defendamus: & hæc etiam correctio eſt actus charitatis, non erga delinquentem, ſed erga Deum, aut proximum, cujus fama læditur.

Altera correctio eſt, quæ adhibet remedium peccato delinquentis; in quantùm vergit in nocumentum aliorum, & præcipuè boni communis. Et hæc correctio dicitur judicialis, quæ pertinet ad juſtitiam vindicativam, ſaltem quando per ſe ordinatur ad punitionem, requiriturque juriſdictio in corripiente, & forma judicialis.

Addi poteſt tertia inter has media, quæ dicitur correctio paterna, quâ nempe ſuperior cùm authoritate corripit delinquentem, ad eum emendandum, ſed abſque formâ judicii.

Q. 1. *Quæ conditiones requirantur, ut præceptum correctionis fraternæ obliget?*

Sup-

Suppono ex S. Tho. & communi Theologorum, dari præceptum correctionis fraternæ, ex illo Eccli 19. *corripe amicum* &c. Et Mat. 18. *Si peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum* &c. Ratio eſt, quia charitas nos obligat, ut quoad poſſumus, ſuccurramus miſeriæ proximi, nulla autem major miſeria, quàm peccatum. Quod præceptum, per ſe loquendo, graviter obligat, quamvis privatos ſæpe plura excuſent à mortali, non item prælatos. Hoc poſito.

R. Ad hoc ut præceptum fraternæ charitatis obliget, requiruntur hæ conditiones.

1. Ut de proximi peccato moraliter conſtet, credaturque eſſe in periculo relabendi, aut non reſurgendi à peccato, quando tenetur, aut etiam moriendi in impœnitentiâ. Alioqui enim ſi peccatum ſit purè præteritum, nec ſubſit aliquod ex dictis periculis non eſt obligatio proximum corrigendi, quia tunc non eſt in indigentiâ ſpirituali.

2. Ut ſit ſpes fructûs, ſeu emendationis; quia emendatio eſt finis intrinſecus fraternæ correctionis, quo ceſſante deſinit obligare tamquam inutilis.

3. Ut proximus credatur non aliter emendandus: nam ſi credam ipſum corrigendum per alium, v. g. ſuperiorem, aut certè, quia eſt timoratæ conſcientiæ, emendandum per ſeipſum, non teneor ejus emendationen procurare, quia jam non eſt in indigentiâ, ſaltem reſpectu mei.

Circa modum, & tempus adhibendi correctionem, notanda ſequentia.

1. Ad eam nemo obligatur cum gravi ſuo incommodo, aut periculo, ſeclusâ extremâ neceſſitate; in quâ etiam nemo tenetur adire certum periculum vitæ, niſi moraliter certum ſit proximum per eam correctionem deducendum ad pœnitentiam, & deceſſurum in gratiâ. Quando au-

Q

tem periclitatur proximus ex ignorantiâ, non cenſetur in extremâ neceſſitate ſpirituali, quia poteſt, ſi vult, à peccato deſiſtere, vel reſurgere per contritionem, ſed tantùm in gravi, in quâ ſoli Prælati, & qui habent curam animarum ratione officii tenentur etiam cum certo vitę periculo ſubditis ſuccurrere.

2. Sæpè utiliter correctio differtur ad tempus, quo creditur fructuoſius adhibenda; quod etiam verum eſt pro quibuſdam caſibus, in quibus tempore intermedio iterandum eſſet peccatum, dummodo, ait Suares, per dilationem obtinenda eſſet ſtabilis, & conſtans emendatio.

3. Quòd ſi delinquens non eſt in periculo relapsûs, ſed tantùm diutius permanſurus in ſuo peccato habituali, ſi non corrigam, ęx hoc non teneor ad correctionem, ſicut nec ipſe tenetur hîc & nunc ſeſe corrigere, cùm tamen poſſit.

Nec refert, quòd proximus in tali caſu ſit in gravi miſeriâ, nempe in peccato mortali habituali; quia non eſt ideò in gravi indigentiâ ſpirituali, cùm nec ipſe velit, nec teneatur ab eâ miſeriâ ſe liberare.

Q. 2. *An corripiendus ſit proximus, qui peccat ex ignorantiâ?*

R. Si ignorantia ſit culpabilis; corripiendum eſſe, ſi adſint conditiones, de quibus ſuprà. Patet, quia talis peccat formaliter, & eſt in gravi miſeriâ, & indigentiâ ſpirituali.

Item ſi peccet ex ignorantiâ invincibili alicujus rei ad ſalutem neceſſariæ, neceſſitate medii, admonendus eſt, quamvis prævideatur habitâ eâ notitiâ, formaliter peccaturus: quia hęc ignorantia, ratione cujus eſt in evidenti periculo ſuæ damnationis, major eſt illius indigentia ſpiritualis, quàm periculum peccandi, cui exponitur, cum aliquâ ſpe ſalutis.

Digitized by Google

Item ſi peccet ex ignorantiâ invincibili juris ſive naturalis ſive Divini, ſive humani, monendus eſt, ſi ſperetur fructus, de quo vide ſupra tract. de conſcientiâ C. 2. q. 7ª,

Q. 3. *An ſit etiam obligatio corrigendi proximum de peccato veniali?*

R. Secluſo periculo ne proximus peccando venialiter incidat in peccatum mortale, non eſſe communiter obligationem talis correctionis. Monent tamen D.D. Prælatum religioſum facilè poſſe peccare mortaliter diſſimulando in ſubditis culpas, etiam leves, per quas notabiliter lædatur religioſa diſciplina; eo quòd notabilis jactura diſciplinæ, etiam per defectus leves, ſit grave malum religionis, quod ſuperior tenetur ex officio avertere. Ita Sotus, Gran. Sua. Layman &c.

Q. 4. *An ordo correctionis fraternæ à Chriſto traditus, ſit præcepti?*

Verba Chriſti Mat. 18. ſunt hæc; *ſi peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos &c. quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Quorum verborum ſenſus eſt proximum corripiendum eſſe, primùm in ſecreto, deinde, ſi id non ſufficiat, coram teſtibus; tum ad Prælatum Eccleſiæ, ſeu ſuperiorem, eſſe deferendum, Quæritur an ordo iſte ſit præcepti; an conſilii tantùm.

Suppono autē eum ordinem eſſe ſervandum non ſolùm in iis, quæ contra nos committuntur, ſed in omnibus peccatis corripiendis: quia licet Chriſtus ibi directè loquatur de eo peccato, quod contra nos committitur, eo quòd ita exigeret occaſio iſtius ſermonis, id tamen non fecit reſtringendi, ſed exempli causâ, volens ex conſequenti intelligi de aliis culpis nobis manifeſtis. Unde nonnulli Doctores verba illa ſic interpretātur, *in te* ut v.g.

idem ſit ac *coram te*, ſeu *te ſciente.*

R. Ordinem iſtum non ſolùm eſſe conſilii, ſed congruitatis ut docent Bonav. in C. 17. Lucæ, & quidam alii apud Oviedum Controv. 11. puncto 9. ſed eſſe præcepti, ſervatis tamen certis limitationibus, de quibus ſtatim. Ita Valent. Sua. Gran. Bannez, Bonac. & alii communiſſimè.

Prob. 1. quia Chriſti verba, juxta omnes, continent præceptum de fraternâ correctione, atqui eodem tenore verborum declaratur non tantùm ſubſtantia præcepti, ſed etiam ordo ſervandus in ejus executione, ergo ipſe etiam ordo eſt præcepti.

Prob. 2 Quia Chriſtus verbis illis authoritativè exſuit, quid lex naturę præſcribat circa correctionem fraternam, & modum in eâ ſervandum; lex autem naturę poſtulat, ut proximum corrigamus cum quàm minimo detrimento famæ illius, ſufficienti tamen ad correctionem; ac proindè, ſi ſufficit privata monitio, non debent adhiberi teſtes; & ſi teſtis unus ſufficit, non ſunt adhibendi plures; ſi teſtes non ſufficiunt, adhibenda eſt correctio publica per delationem ad ſuperiorem.

Dixi *ſervatis certis limitationibus.* Quia quibuſdam caſibus poteſt hic ordo non ſervari, & peccatum proximi immediatè prælato denuntiari, non præmiſsâ ſecretâ monitione, ut in ſequentibus.

1. Si peccatum proximi ſit ita publicum, ut non cenſeatur infamari per denuntiationem factam immediatè prælato.

2. Si peccatum cedat in grave damnum communitatis, & periculum ſit in morâ; quale eſt v. g. proditio patriæ &c. excipit S Tho. art 7. niſi fortè aliquis exiſtimaret firmiter, quod ſtatim per ſecretam admonitionem, poſſet hujuſmodi mala impedire.

3. Si ejus peccatum cedat in damnum tertii, quod cenſeatur majoris momenti, quàm qualiſcumq; jactura famæ, reſpectu peccantis. Ut ſi v.g. machinetur mortem innocentis, & res judicetur ad ſuperiorem deferenda, ut certiùs & efficaciùs, ei periculo occurratur.

4. Si peccatum tale ſit ex naturâ ſuâ, ut niſi promptè, & efficaciter proſpiciatur, ſoleat communitatem inficere: tale eſt v. g. hæreſis, ſaltem cùm procedit ex merâ malitiâ.

5. Si proximus ob majorem profectum ſpiritualem, aut rationes alias, ceſſionem fecerit, tacitè vel expreſsè, juris, quod habet, ne crimen ſuum denuntietur ſuperiori non præmiſsâ monitione ſecretâ.

6. Si ex circumſtantiis prudenter judicetur ſecreta monitio quam quis per ſe, vel per alios privatos adhiberet, futura inutilis aut etiam noxia peccanti: tunc enim poteſt res ad ſuperiorem deferri, immediatè, ut ſecretò & paternè bono proximi provideat, immò, putant varii, ſaltem in religionibus id licere, etiam ex eo tantùm quòd judicetur Prælatus meliùs, & ſecuriùs fratrem correcturus; præſertim, cum ut docet S. Tho. art. 8. ad quando peccatum dicitur Prælato, non ut judici, ſed ut eſt quædam perſona ſingularis, quæ magis prodeſſe poteſt quam alii, non dicatur ei tamquam Eccleſiæ, id eſt, ſicut in loco judicis reſidenti.

Q. 5. *An in delictis publicis, antequam denuntietur judici debeat præmitti monitio ſecreta, & inductio teſtium?*

Nota ex Oviedo 1. peccata dici publica tripliciter. 1. quando duobus, vel tribus tantùm ſunt nota, & talia juriſtæ appellant *probabilia in judicio.* 2. quando non ſolùm probari poſſunt, ſed etiam ſunt ſufficienter publica, ut per eorum de-

nunciationem non cenſeatur proximus infamari ; eo quòd jam cenſeatur jus ad famam amiſiſſe, & hæc juriſtis dicuntur *famoſa*, vel *manifeſta*. 3. quando ita ſunt manifeſtè nota, ut nullâ poſſint tergiverſatione celari ; & hæc dicuntur *notoria*.

Nota 2. quædam peccata ſolùm cedere in damnum ipſius peccantis, qualia ſunt ebrietas, pollutio voluntaria, & alia hujuſmodi ; alia verò vergere directè in damnum 3^a. perſonæ, vel Reip. ut furtum, homicidium, detractio, proditio, inſtitutio falſæ monetæ, falſa doctrina, quâ mores corrumpantur. &c.

Nota 3. quædam peccata, quæ in ſæcularibus non cenſentur contra communitatem, ſed tantùm contra ipſum peccantem in religione commiſsa, cenſenda eſſe contra communitatem, & illius bonum publicum, hujuſmodi eſſent fornicatio, ebrietas aliquoties repetita, conſuetudo paſſim jurandi &c. quia hæc, & ſimilia graviter in honore, & famâ communitatem lædunt, & eo magis, quo communitas ſanctior, & diſciplinæ religioſæ eſt obſervantior, & in majori apud alios æſtimatione his prænotatis.

R. 1. Si ſint peccata publica 3. modo, ſeu notoria, non debet præmitti monitio ſecreta. 2. ſi neq; ſint notoria, neq; omninò ſecreta, ſed publica, 1. aut 2. modo, denuntiari debent, nullâ aliâ monitione præmiſsâ, ſi quidem ſint nociva communitati, aut innocenti ; alias ſi tantùm vergant in damnum peccantis, probabilius eſt non poſſe licitè denuntiari coram judice, omiſsâ monitione ſecretâ, & inductione teſtium, quando his mediis prudenter ſperatur emendatio.

Ratio 1. partis eſt, quia in eo caſu agitur de damno communi vitando, quod majoris momenti eſt, quàm damnum unius privati hominis, vel de vitando damno innocentis, quod eſt præfe-

rendum damno nocentis.

Ratio 2. partis eſt quia in ejuſmodi peccatis, præcipuè locum habet ordo correctionis, à Chriſto præſtitutus: nam in notoriis obſervari non debet, ut dictum eſt; & in iis, quæ uni tantùm ſunt nota, rarò poteſt hic ordo in praxim deduci.

Collige quâ ratione gerere ſe debeat Religioſus in denuntiationibus faciendis Prelato, ut judici, advertendo ad id quod dictum eſt notabili 3. quòd nempe quædam peccata in religione cenſeantur contra bonum commune, quæ non cenſentur talia in ſæculo.

Q. 6. *An obligatio præmittendi monitionem ſecretam, quoad peccata publica 1. aut 2. modo ſit ex juſtitiâ, an ex charitate.*

R. Si ſint publica 2. modo, obligatio non eſt ex juſtitiâ, ſed ex miſericordiâ, cum enim horum reſpectu delinquens jam amiſerit jus ad famam, monitio ſecreta tantùm debita eſt ex charitate, ad vitanda damna ex denuntiatione inferenda. ſi verò ſint tantùm publica 1. modo, ſeu duobus tantùm, aut tribus nota, obligatio premittendi monitionem ſecretam, quando ex illâ utilitas ſperatur, non ſolùm eſt ex charitate, ſed etiam ex juſtitiâ, nam ex eo quòd ſolùm duo, vel tres ſciant crimen ab aliquo commiſſum, delinquens non amiſit jus ad famam, ſeu ne diffametur illius delicti divulgatione. Vide Oviedum.

CAPUT VI.

De Vitiis charitati oppoſitis.

De his agit S. Th. à. q. 34. uſq. ad 43. incluſive, ac 1. de internis, quæ ſunt odium Dei, & proximi, acedia, invidia &c. 2. de externis, ut diſcordiâ, contentione, Schiſmate Bello, rixâ, ſcandalo.

§ I.

De Odio Dei, et Proximi.

Q. 1. *Quid eſt odium in genere, & quotuplex.*

R. Sicut amor, ſeu charitas eſt cùm bonum alteri volumus, ita odium, quod charitati directè opponitur, eſt quo volumus alteri malum; item ſicut duplex eſt amor, unus benevolentiæ, ſive amicitiæ, alter concupiſcentiæ; ita duplex quoque eſt odium, unum dicitur odium inimicitiæ, ſeu odium perſonæ, quo alicui perſonæ, quæ nobis diſplicet, malum volumus, quatenus ipſi malum eſt; alterum dicitur odium abominationis, ſeu odium qualitatis, quo perſonam averſamur non ſecundùm ſe ipſam, ſed ſecundum qualitatem aliquam in eâ repertam, quatenus ea vel nobis, vel alteri vel communitati repugnat.

Q. 2. *An & quomodo poſſit homo in hâc vitâ odiſſe Deum?*

R Etſi Deus ſpectatus intrinſecè, ut in ſe eſt, ſeu ſecundùm eſſentiam, nihil contineat mali, ratione cujus poſſit haberi odio, & ideò impoſſi-

bile ſit, quòd aliquis videns Deum per eſſentiam, eum odio habeat; extrinſecè tamen, in quantum ſunt aliqui effectus Dei, qui repugnant inordinatę voluntati hominum, ſicut inflictio pœnæ, cohibitio peccatorum per legem divinam &c. apprehendi poteſt in Deo malum, ratione cujus alicui diſpliceat, & odio habeatur. Ita S. Th. q. 34. art. 1.

. Q. 3. *Quale peccatum eſt odium Dei.*

R. 1. Odium inimicitiæ erga Deum eſſe peccatorum omnium graviſſimum, ſicut charitas amicitiæ erga Deum, cui directè opponitur, eſt omnium virtutum perfectiſſima.

Prob. quia ratio peccati, quæ eſt voluntaria averſio à Deo, per ſe primò reperitur in odio Dei, cùm ſit actus, quo voluntas à Deo per ſe avertitur, ſicut è contrario per amorem Deo per ſe adhæret. In aliis verò peccatis mortalibus homo à Deo avertitur, non directè, formaliter, & per ſe, ſed tantùm indirectè, virtualiter, & interpretativè, ſive (ut loquitur S. Tho. art, 2.) in aliis peccatis, puta cùm aliquis fornicatur, voluntas non avertitur à Deo ſecundum ſe, ſed ſecundum aliud, in quantum ſcilicet appetit inordinatam delectationem, quę habet annexam averſionem à Deo.

Cæterum, ut notat Cajetanus ad hunc articulum, cùm in omni peccato mortali contineatur aliquo ſaltem modo averſio à Deo, ut dictum eſt, etiam odium Dei aliquo modo reperitur in omni peccato mortali, nempe virtualiter, ac participativè, & ideò quodlibet peccatum mortale eſt contra charitatem, & amicitiam Dei, mereturque Divinæ gratiæ, & charitatis amiſſionem, ac pœnam infinitam.

R. 2. Odium abominationis erga Deum, etiam per ſe, & intrinſecè malũ eſt, & ex genere ſuo peccatum mortale; licet odium abominationis erga

proximum, interdum non ſit culpabile, ſed. potiùs laude dignum, ut poſtea dicetur.

Ratio eſt, quia Deus eſt infinitè bonus (*quis enim bonus, niſi ſolus Deus?* Matth. 19.) nec in eum ulla malitia, ſive defectus intrinſecè, vel extrinſecè cadere poteſt, ob quem abominatione, atque odio dignus ſit.

Q. 4. *Quale peccatum eſt odium proximi?*

R. 1. Odium inimicitiæ eſſe per ſe, & intrinſecè malum, & ex genere ſuo peccatum mortale; quia & illud directè opponitur charitati, de quâ extat præcipuum mandatum, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Eſt tamen hoc diſcrimen inter odium inimicitiæ erga Deum, & proximum, quod illud, ſi deliberatè fiat, ſemper ſit peccatum mortale, cùm qualecumq; malum etiam leviſſimum, quod Deo optatur, deſtruat ejus infinitam bonitatem: at verò odium erga proximum ex levitate materiæ fiat veniale, ut ſi ex diſplicentiâ aliquâ perſonæ, exiguum illi malum optetur.

R. 2. Odium abominationis erga proximum, ſi ſine juſtâ causâ concipiatur, repugnat charitati, & peccatum eſt grave, aut leve, pro gravitate, aut levitate materiæ: interdum tamen culpâ vácat, & eſt laudabile, quia nempè non ſemper charitati adverſatur, ſed interdum fundatur in amore benevolentiæ, ſeu charitatis erga Deum, vel nos ipſos, vel ipſum, quem ſic odimus, aut alterum proximum; ut proinde ejuſmodi odium, ſi debito ordine inſtituatur, ex virtute charitatis proveniat. Qui ordo in eo conſiſtit, ut minùs malum proximo evenire (ſaltem ſimplici, & inefficaci voluntate) optemus, quo malum majus, ſive noſtrum, ſive alienum evitetur. Contrà verò ſi majus malum, v. g. corporis mortem proximo, quamvis ſimplici affectione deſide-

remus, ut nos ipſi, vel alius minore malo, v. g. particulari damno fortunarum liberetur; odium hoc malum erit; quippe ordini charitatis repugnans. Ita in terminis Layman, hinc

Collige meritò ab Innocentio XI. damnatas eſſe has propoſitiones, 13ª. *ſi cum debitâ moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vitâ alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentiâ perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* 14ª. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas,* 15ª. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

Q. 5. *An maledictio, quâ alicui homini malum imprecamur, ſit actus odii, & an ſemper peccatum?*

R. 1. maledictio, ſive imprecatio mali, eſt actus odii imperatus, ſive eſt expreſſio voluntatis averſæ ab altero, ut cùm dicitur fulmine, laqueo, pereas &c. hinc proximo ſine juſtâ causâ maledicere, charitati repugnat, & ad peccatum odii pertinet; & interdum juſtitiæ adverſatur, & ad contumeliam ſpectat. Interdum etiam accidit (ut notat Layman ex Navarro, & Molinâ) ut verba maledictionis erga hominem v. g. ſubditum, neque charitati, neq; juſtitiæ notabiliter repugnent, ſed fermè ſolùm manſuetudini ac patientiæ, ideoq; culpam venialem non excedant, ut ſi parens filio, hera ancillæ malum imprecetur, non ex animo, ut ita veniat, atque etiam ſine notabili honoris imminutione: immò arbitratur Molina, tametſi aliquis ex irâ, vel objurgationis causâ, gravem alioquin maledictionem in alterum effundat, v. g. ut diabolus illum rapiat; ſed ſine animo ac voluntate, ut id eveniat, atque ſine notabili con-

tumeliâ, ſpectatâ perſonæ qualitate, aliiſque circumſtantiis, non fore peccatum mortale; verùm ſi ſeipſum aliquis ex irâ deliberatè dæmoni devoveat, quamvis ſine animo, ut ità eveniat, à mortali excuſandum non eſſe ob fœditatem, horrorem, ac perverſitatem rei. Vide Layman.

R. 2. Hominibus malis, ſeu peccatoribus interdum licitum eſt maledicere ex odio abominationis, v. g. furi, vel latroni, qui Reip. noxius eſt, ut laqueo ſuſpendatur; non quidem id optando, quatenus malum ipſius abſolutè eſt (ſic enim ad odium perſonæ pertineret) ſed quatenus boni rationem habet, quia per illud majora mala impedientur: intellige reſponſionem de maledictione, & voluntate ſimplici & inefficaci: nam maledicere peccatoribus per modum cauſalitatis, aut imperii efficacis, eiſdemque malum inferre, non in ſui defenſionem, ad eos ſolùm pertinet, qui jus habent noxios puniendi.

§. II.

De Acedia et Invidia.

Acedia repugnat charitati Dei, invidia charitati proximi. Annumerantur inter peccata capitalia, quia ex illis promptum eſt alia vitia oriri.

Q. 1. *Quid ſit Acedia, & quale peccatum?*

R. Acedia eſt animi tædium, ſeu triſtitia de bono ſpirituali acquirendo, vel conſervando per actiones cum labore, ac difficultate conjunctas; quæ triſtitia, ſive horror difficultatum, ſi hæreat in ſolo appetitu ſenſitivo, cui ratio & voluntas reſiſtat, nullum peccatum eſt, ſed potiùs virtus, tunc ſolùm peccatum eſt, quando pars ſuperior

nullo modo , vel nimis languidè ei reſiſtit.

Sumi poteſt dupliciter. 1. *Generaliter* pro omni tædio,ſeu remiſſione animi in exercitio virtutum, eo quòd labor aliquis ſit adjunctus. Sic accepta, non eſt vitium ſpeciale. quia , ut notat S. Tho. q. 35. art. 2. eſt contra illam virtutem , cujus ſpirituale bonum refugit ; eſt autem peccatum mortale , vel veniale , prout ex illâ committitur opus vetitum ſub mortali , vel veniali.

2. Sumitur particulariter pro triſtitiâ , & tædio divinæ amicitiæ , eo quòd aliter obtineri , aut conſervari non poſſit , quam per laborioſa virtutum exercitia ; quo fit , ut quis amicitiam illam non curet. Sic ſumpta eſt vitium ſpeciale , & de ſe peccatum mortale , quia ſpecialiter repugnat charitati Dei.

Huc revocantur contemptus beneficiorum Dei, v, g. deſiderando non fuiſſe natum , non fuiſſe inter Chriſtianos enutritum , non fuiſſe ingreſſum religionem &c. ob difficultates , quæ in Dei obſequio ſuperandæ ſunt. Item puſillanimitas , quâ quis diffidens de Dei auxiliis , refugit quidquam difficile aggredi ; item faſtidium , quo quis averſatur eos, qui ad ſpiritualia , aut ad fervorem inducunt ; evagationes mentis in oratiòne , aliiſque ſpiritualibus exercitiis &c.

Q. 2. *Quid invidia , & quale peccatum ?*

R. Invidia definiri ſolet triſtitia de bono alieno, quatenus id malum invidentis æſtimatur , tamquam propriam ipſius excellentiam imminuens. Similiter è converſo ad invidiam revocatur gaudium de malo alieno , quatenus id bonum invidentis æſtimatur. Eſt ex genere ſuo peccatum mortale, oppoſitum virtuti charitatis , cujus actio eſt gaudere de bono , ac proſperitate proximi; & triſtari de illius malo , & adverſitate ; numeratur inter peccata capitalia ,quia ex illâ pro-

Google

fluunt alia peccata, etiam ex genere ſuo mortalia, ut odium, detractio, de quibus alibi, item ſuſurratio. quæ eſt oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipſius cum aliis.

Pro pleniore hujus peccati intelligentiâ. Nota ex S. Th. q. 36. art. 2. triſtitiam de bonis alienis, poſſe contingere quatuor modis.

Primò cùm aliquis dolet de bono alicujus, in quantum ex eo timet aliquod nocumentum, vel ſibi ipſi, vel etiam aliis bonis. Et talis triſtitia non eſt invidia, & poteſt eſſe ſine peccato.

2. Poteſt aliquis triſtari de bono alterius, non ex eo quòd ipſe habet bonum, ſed ex eo quòd nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet: & hoc propriè non eſt invidia, ſed zelus, qui, ſi ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt; ſi autem ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato, prout bonum eſt dolenti proportionatum, aut improportionatum.

3. Cùm aliquis triſtatur de bono alterius, in quantum eo indignus eſt, quæ triſtitia ſi oriatur ex bonis honeſtis, ex quibus aliquis juſtus efficitur, peccatum eſt. Item ſi quis Dei providentiam arguat, quòd peccatoribus bona temporalia largiatur, & bonos affligat &c. juxta illud Pſal. 36. *noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.*

4. Cùm aliquis triſtatur de bonis alicujus, in quantùm alter excedit ipſum in bonis. Et hoc propriè eſt invidia.

§ III.

De Discordia, Contentione, Schismate.

Q. 1. *Quid diſcordia, & an ſit peccatum?*

R. De illâ ſic loquitur S. Thomas q. 37. art. 1. diſcordia concordiæ opponitur; concordia autem ex charitate cauſatur, in quantum ſcilicet charitas multorum corda conjungit in aliquid unum ſcilicet in bonum divinum, vel in bonum proximi; diſcordia igitur eâ ratione eſt peccatum, in quantum hujuſmodi concordiæ contrariatur.

Tollitur autem hæc concordia per diſcordiam dupliciter. 1. Per ſe ut quando ſcienter, & ex intentione aliquis diſſentit à bono divino & à bono proximi, in quo debet conſentire, & hoc eſt peccatum mortale ex genere ſuo, propter contrarietatem ad charitatem, licet primi motus hujus diſcordiæ propter imperfectionem actûs ſint peccata venialia.

2 Per accidens, ut cùm aliquis æſtimat hoc eſſe bonum, & pertinere ad honorem Dei, vel utilitatem proximi. Alius autem habet contrariam opinionem; & talis diſcordia non eſt peccatum, nec repugnat charitati.

Nota neq; eſſe peccatum diſcordiæ, diſſentire in bono, ſi in eo concordare obligati non ſumus; hinc non eſt peccatum, ſi ſocium rogantem, ut cum ipſo peregrineris, aut religionem ingrediaris, ſequi recuſes. Vide Layman.

Q. 2. *Quid contentio & quale peccatum?*

R. Contentio eſt impugnatio veritatis cum confidentiâ clamoris. Ita S. Tho. ex Ambroſio Poteſt autem veritas impugnari dupliciter, intentione formali, quando quis agnitam veritatem impugnat & intentione virtuali, quando quis doctrinâ ali-

quã impugnat nõ curans ſive ea ſit vera, ſive falſa? Item quãdo quis impugnat veritatem per culpabilẽ ignorantiam, exiſtimans eſſe falſitatem, ut plerumque faciunt hæretici. Si contentio fiat ſeriò, peccatum eſt & aliquando mortale, utpote paci & charitati oppoſitum: alioqui ſi non ſeriò fiat, ſed exercitii causâ, vel ad explorandam alterius Doctrinam, non eſt mala.

Additur in definitione *cùm confidentiâ clamoris.* Non quòd clamor ſit de eſſentiâ peccati contentionis, ſed quòd illud accidentaliter aggravet, & plerumque conjunctus ſit cum vitioſâ contentione. Imo notat S. Tho. etiam falſitatis impugnationem, quæ de ſe bona eſt, interdum vitiari, inordinato modo clamoris, & geſtuum, item ex circumſtantiis perſonarum, loci, temporis. &c.

Q. 5. *Quid ſchiſma, & an ſit ſpeciale peccatum?*

R. Schiſma ex vi nominis eſt ſciſſura animorum; ſciſſio autem unitati opponitur. Unde peccatum ſchiſmatis dicitur, quod directè, & per ſe opponitur unitati. Et eſt ſpeciale peccatum, ex eo quòd intendit ſe ab unitate ſeparare, quam charitas facit. Et quia charitas non ſolùm alteram perſonam alteri unit, ſpirituali dilectionis vinculo, ſed etiam totam Eccleſiam in unitate ſpiritûs, ideò propriè ſchiſmatici dicuntur, qui propriâ ſponte, & intentione ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant: Eccleſiæ autem unitas in duobus attenditur, ſcilicet in connexione membrorum Eccleſię ad invicem, ſeu communicatione, & in ordine membrorum Eccleſiæ ad unum caput, ſcilicet Chriſtum, cujus vicem in Eccleſiâ gerit ſummus Pontifex. Et ideò ſchiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici, & qui membris Eccleſiæ ſubjectis communicare recuſant. Hactenus S. Tho. q. 39. art. 1.

§ IV.

De Bello.

Q. 1°. *An bellum poſſit eſſe licitum?*

R. Aff. & de defenſivo quidem clarum eſt, cùm unicuique ex jure naturæ licitum ſit, vim vi repellere. De bello offenſivo, quod ſuſcipitur v. g. ad obtinendam ſatisfactionem pro illatâ notabili injuriâ &c. probatur tum ex ſenſu, & praxi in Eccleſiâ receptâ; neque in novo ſolùm, ſed & in antiquo teſtamento; tum quia Principes ſummi, & Reſpublicæ perfectæ, & liberæ, penes quos ſolùm eſt poteſtas bellum indicendi, cùm careant ſuperiore, à quo jus ſuum obtinere poſſint, debuit iis à naturâ competere poteſtas ad jus ſibi dicendum, & cogendam partem adverſam, ad ſibi ſatisfaciendum. Quod plerumque fieri non poteſt ſine bello.

Q. 2. *Quænam ſint cauſæ ſufficientes bellum indicendi?*

R. Generaliter eſſe gravem injuriam Principi, ſeu Reip. vel ejus ſubditis illatam, quæ non poſſit aliter reparari, quàm per bellum. ſumitur ex Auguſtino lib. 6. quæſtionum ſuper Ioſue cap. 10. ubi ſic ait. *Juſta bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens, vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt.*

Circa hæc notanda ſunt ſequentia. 1. Iuſtam cauſam inferendi bellum, eſſe acceptam gravem injuriam, vel jure juſtitiæ commutativæ compenſandam, vel jure juſtitiæ vindicativæ ulciſcendam. Ad hanc autem univerſalem cauſam, reducuntur variæ particulares, quas recenſent Becan. Layman, & alii. Ut ſunt v. g. rebelles ad officium

R

compellere; recuperare bona injuſtè ab alio detenta, quæ recuperari, multùm intereſt boni communis; vindicare gravem contumeliam illatam Principi, vel Legatis ejus &c.

2. Neceſſarium non eſſe, ut injuria facta ſit ipſi Principi, ſeu Reip. ſed ſufficere, ſi facta ſit ſubditis, aut etiam externis, quorum cauſam Princeps poſſit, ac velit ſuſcipere.

3. Injuriam debere eſſe gravem, & quæ comparari poſſit cum damnis ex bello ſecuturis.

4. Quoad injuriam per bellum vindicandam, cenſet Coninck eam vindictam tunc ſolùm poſſe exerceri, quando Reſp. quæ injuriam intulit, renuit exhibere ſatisfactionem, aut reparationem honoris debitam; aut meritò timetur, ne in ſimiles injurias relabatur, niſi efficaciter compeſcatur. Excipe niſi ſint rebelles, & de jure ſubditi: nam contra hos poteſt licitè bellum ordinari ad puram vindictam, ſeu punitionem pro acceptâ injuriâ.

Alii tamen communiùs ſentiunt, Principem, ſpectato juſtitiæ rigore, poſſe non ſolùm honoris reparationem, aut ſecuritatem in futurum intendere, ſed etiam juſtam culpabilis injuriæ punitionem: quamvis ſimul moneant charitatem ſæpe poſtulare, ut contentus ſit oblatâ ſatisfactione.

Q. 3. *An bellum poſſit eſſe utrimque juſtum?*

R. Id non poſſe ex rei naturâ, eo quòd circa eamdem actionem dari non poſſint jura contraria, dari tamen poteſt utrimque juſtum per accidens, ſcilicet ratione bonæ fidei, & ignorantiæ invincibilis; ut ſi bellum inferatur propter aliquam injuriam non formalem, ſed materialem tantùm, ut ſi alter invincibiliter putet ſe rem tuam juſtè poſſidere.

Q. 4. *Quomodo conſtare debeat de juſtitiâ cauſæ, ut bellum licitè inferatur?*

R. Principem, ut bellum aliquod licitè ag-

grediatur, debere priùs diligenter rem examinare, ut ei de juſtitiâ cauſæ ſufficienter conſtet: nam, ſi poſt examen res adhuc maneat dubia, non poteſt alteri bellum indicere; ſed vel illum debet in poſſeſſione relinquere (ſi v. g. agatur de aliquâ civitate, quam alter princeps bonâ fide poſſidet) vel ſi neuter illam poſſideat, debet res ex æquo dividi. Idemque dicendum, ſi res utrimque appareat æquè probabilis: niſi quòd hoc caſu, quando res à neutrâ parte poſſidetur, ex multorum ſententiâ poſſit quiſque illorum eam ſibi applicare, ita ut fiat primò occupãtis. Sunt tamẽ qui putant in caſu incertitudinis, debere partes ab aliquo tertio definitionem expectare. v. g. à judicibus regni controverſi, vel (ſi hi ſint ſuſpecti) ab arbitris utrimque delectis. (Vide Palao, tractatu de conſcientiâ diſp. 2. puncto 7.

Si poſt diligens examen judicet Princeps ſibi jus efficaciùs, ac probabiliùs competere, Victoria, Villalobos, Suares, Granadus &c. dicunt hoc ſufficere ad bellum inferendum, licet alter ſit in legitimâ poſſeſſione: alii tamen, ut Vaſques, Salas, Lorca, Coninck &c. volunt ad id neceſſarium eſſe, ut certò conſtet de juſtitiâ cauſæ; quorum aliqui addunt oppoſitum non eſſe ſatis probabile, adeoque nec tutum; & hoc ſaltem valere poteſt, ut non ſtatim quis exiſtimet ſufficere quamlibet majorem probabilitatem, ſed eam requiri, quæ ſit propinqua morali certitudini, propter mala ingentia, quæ cum bello conjuncta ſunt, & quæ maximè ponderare debent ii, qui de inferendo bello deliberant. Adde, quamvis de juſtitiâ cauſæ conſtet, non hoc ipſo ſequi bellum eſſe ſimpliciter licitum: quia ſæpe eſt contra charitatem (aut etiã contra juſtitiam erga proprios ſubditos) rẽ nõ prorſus magnam, aut non apparenter recuperandam, cum tanto utriuſque partis incommodo,

bello proſequi. Similiter peccari poteſt contra charitatem Eccleſiæ debitam, ſi inde immineat grave periculum Religioni Chriſtianæ.

Q. 5. *Quid dicendum de ipſis militibus, quibus non conſtat de juſtitiâ cauſa?*

R. Per ſe loquendo ſufficere, quòd ipſis non conſtet de cauſę injuſtitiâ; quod præſertim verum eſt de militibus ſubjectis Regi bellum inferenti: quia in dubio poſſunt, & debent præſumere bellum indictum à ſuo Rege, juſtum eſſe, ob rationes, quas ipſi non norunt; & idem de externis militibus, docent Victoria, Petrus de Navarra, Suares, Vaſq. Palao &c contra multos.

Dixi *per ſe loquendo*: quia ſi illis conſtaret ipſummet Principem &c. dubitare de belli juſtitiâ, non poſſent tunc illi militare; ſimiliter quoties vehemens eſt præſumptio de belli injuſtitiâ, ut quando juvantur rebelles ſubditi, contra ſuperiores legitimos &c. quæ tamen non ſunt facilè præſumenda, cùm paucis nota ſint Principum conſilia, ſeu rationes indicendi bella.

Q. 6. *Qualis eſſe debeat intentio gerentis bellum?*

R. Suppoſitâ poteſtate, & causâ legitimâ, nulla requiritur ſpecialis intentio ad belli juſtitiam, ac proinde ſi in ipsâ executione, modus debitus ſervetur, nulla inde naſcitur obligatio reſtitutionis; quamvis bellum ex odio, avaritiâ, ambitione, aut alio pravo fine extrinſeco ſuſceptum ſit; Eſt tamen ſemper illicitum ex ejuſmodi aliquo pravo affectu, bellum gerere.

Q. 7. *Quis modus ſervandus eſt in ipsâ belli executione?*

R. Varia eſſe obſervanda, tum ante bellum, tum in ipſo bello, tum etiam poſt peractum bellum, & reportatam victoriam; præter alia, quæ congerunt ii, qui ex profeſſo materiam illam

tractant, notanda ſunt precipuè, quæ ſequuntur.

Ante bellum tenetur Princeps rem diligenter examinare, ut anteà dictũ eſt. Item partem adverſam de cauſæ juſtitiâ, ſuiſque prætenſionibus monere, ut alter, vel per ſe vindicet, ſi quid à ſuis per injuriam ſit commiſſum, vel reſtituat, ſi quid probetur injuſtè poſſidere.

In ipſo bello 1. tenetur Princeps non tantùm ante bellum, ſed etiam eo inchoato, oblatam ab adverſario ſatisfactionem acceptare; ſaltem quando bellum non infertur purè in punitionem; & dummodo appareat ſatisfactionem ſincerè, & non fictè offerri, præſteturque ſufficiens ſecuritas in futurum, & compenſentur impenſæ belli, quarum alter injuſtè cauſa extiterit.

2. Tenetur Princeps militi juſta ſtipendia ſolvere, itemque procurare ne proprii ſubditi per militarem licentiam, & iniquas exactiones graventur; alioqui enim obligatur ad reſtitutionem, ſaltem in militum defectum, ſi quid tale ab illis committatur, defectu ſolutionis, aut defectu diligentiæ debitæ Quod etiam cum proportione dicendum eſt de belli ducibus.

Poſt bellum, ſeu partâ jam victoriâ, per ſe loquendo, ea licent, quæ ad plenam ſatisfactionem ſunt neceſſaria; itemque ad ſecuritatem in poſterum ſtabiliendã: poſſunt etiam, quos conſtabit fuiſſe nocentes, puniri morte, quamvis in his habenda ſit ratio Chriſtianæ clementiæ. Unde ſi multi ex victis hoc modo mortem meriti eſſent, regulariter loquendo, non convenit omnes interfici, ſed potiùs, præcipuis illorum punitis, parcendum eſt multitudini; quia oppoſitum cedere poſſet in detrimentum boni communis, & communiter redolet crudelitatem. Hinc licet in rigore poſſit quandoque civitas capta in prædam dari militibus, ſi ita poſtulent circumſtantiæ; regula-

riter tamen, & abſque neceſſitate id permittendum non eſt, ob ingentia mala, & ſcelera, quæ in tali deprædatione à militibus committuntur. Vide de his plura apud Coninck. Malder. Layman, Palao &c.

Q. 8. *Ad quem pertineant bona juſto bello capta?*

R. Si immobilia ſint, pertinent ad Principem, ſi mobilia, regulariter ſunt capientium: quod non tantùm verùm eſt de iis mobilibus, quæ ad hoſtes pertinebant, ſed etiam de iis, quæ ipſi à ſubditis Reip. læſæ rapuerint, ſi ea jam in loca tuta deportaverant. Hæc enim partim jure Cæſareo, partim conſuetudine, cedunt capientibus, perinde ac ſi eſſent hoſtium propria; ſæpe tamen æquitas poſtulat, ut illa reſtituantur iis, à quibus capta ſunt, præſertim ſi non ita pridem in hoſtium poteſtatem venerint.

Q. 9. *An licita ſint repreſalia, ſeu pignorationes?*

Ea ſunt, cùm Reſp. læſa ab aliâ, accipit à civibus Reip. nocentis bona quædam in pignus ſatisfactionis, ſibi, ſuiſque debitæ.

R. Eſſe licita, quando manifeſtè conſtat cives alterius Reip. feciſſe injuriam; & ſuperiores illorum rogatos injuſtè recuſare adminiſtrare juſtitiam: non poteſt tamen plus damni inferri, quàm juſta ſatisfactio requirit. In his poſſunt etiam innocentium bona ſic uſurpari, quando ſatisfactio ex bonis nocentium obtineri non poteſt: quia nempe quoad hæc bona ſubſunt Reip. cujus ſunt pars, quæ, ſi neceſſe ſit, poteſt hâc ratione in ſuis membris puniri: ſicut quantum eſt ex rei naturâ, Reip. ſubditi, etiam innocentes, poſſunt directè bonis, & libertate privari, quando id ad belli finem eſt neceſſarium. Excipiuntur tamen ab his bona Eccleſiæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ innocentes, capitulo *etſi pignorationes.* De injuriis in 6. quorum etiam bona non poſſunt in

bello diripi, aut vaſtari, niſi fortè per accidens &c.

Q. 1. *An Clericis, & Epiſcopis ſit licitum pugnare?*

R. Etſi ex rei naturâ hoc non ſit illis potiùs, quàm aliis illicitum, lege tamen Eccleſiaſticâ ſub gravibus pœnis prohibetur propriâ manu pugnare; vide S. Tho. q. 40. art. 2. Item causâ 23. q. 8. & cap. *ex multa.* De voto &c.

Notanda tamen ſunt ſequentia. 1. Hanc prohibitionem intelligi debere præſertim de Clericis in majoribus conſtitutis, qui ſi in bello pugnent, peccant mortaliter, eo quòd illis graviter id prohibitum ſit, ut patet ex graviſſimis pœnis iſti prohibitioni adjunctis. Quoad conſtitutos in minoribus ordinibus, dicendum eos hâc lege non teneri, ac proinde ſi nec beneficium Eccleſiaſticum habeant, nec gaudeant privilegio fori, nullo modo in eo peccare; quia tales habentur inſtar laïcorũ: ſi autem habeant beneficium &c. videntur peccare, ſed tantùm venialiter. Quod etiam de Religioſis laïcis videtur dicendum.

2. Solùm prohiberi pugnare propriâ manu, aut ea facere, quæ hominum militarium propria ſunt; alioqui Principes Eccleſiaſtici, qui temporalem juriſdictionem habent, poſſunt ſuâ Authoritate bellum indicere, exercitum conſcribere, &c. poſſunt etiam quicumque Clerici adeſſe pugnantibus, eos ad fortiter pugnandum hortari; dummodo ad occidendum hunc, vel illum in particulari non excitent.

3. Eamdem prohibitionem intelligi extra caſum neceſſitatis. Unde pugnare poſſunt abſque peccato. 1. Si neceſſarium ſit ad propriæ vitæ, aut alterius innocentis defenſionem. 2. ad defẽſionẽ Eccleſiæ, aut etiam Patriæ. 3. Si ad conſequendam victoriam magni momenti, à quâ valdè pendeat ſalus

Reip. quibus caſibus non incurrunt irregularitatem, ſi quos occidant. Ita DD. communiùs.

§ V.
De Duello.

Duellum eſt duorum, vel paucorum pugna ſuſcepta ex condicto; affine eſt rixæ, quam S. Tho. q. 41. dicit eſſe quoddam privatum bellum, quod inter privatas perſonas agitur. Et hanc in eo, qui alterum injuſtè invadit, dicit eſſe peccatum mortale, quia inferre nocumentum proximo, etiam opere manuali (quod importat rixa ſupra ſimplicem verborum contentionem) non eſt abſque mortali peccato; in eo autem, qui ſe defendit, poteſt eſſe ſine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum mortali, ſecundùm diverſum motum animi ejus, & diverſum modum ſe defendendi: nam ſi ſolo animo repellendi injuriam illatam, & cum debitâ moderatione ſe defendat, non eſt peccatum, ſi verò cum animo vindictæ, vel odii, vel cum exceſſu debitę moderationis, ſemper eſt peccatum, ſcilicet veniale, vel mortale pro levitate, vel gravitate motûs odii, ſeu vindictæ.

Q. 1. *An Duellum ſit aliquando licitum?*

R. Per ſe loquendo poſſe eſſe licitum ſequentibus caſibus extraordinariis. 1. Si acceptetur, vel offeratur ad juſtum bellum terminandum, quandò belli exitus eſt incertus. Ratio eſt, quia eo caſu non minùs honeſtum eſt duellum, quam bellum, immò potiùs eſt eligibile, in quantum paucorum ſanguine finitur controverſia, vitanturque cædes, & damna majora.

Dixi *quando belli exitus eſt incertus*, quia Princeps viribus ſuperior, & habens ſpem probabiliſſimam victoriæ, graviter peccaret contra juſtitiam

in ſubditos, ſpem victoriæ ferè certam commutando cum incerto eventu duelli.

2. Similiter licitum eſſet duellum belli tempore, ſi vel hoſtis inſultans illud offerret, videreturque neceſſarium illud acceptare, ad avertendam exercitûs ignominiam, debilitandos hoſtium animos, & ſuorum erigendos &c. (uti accidit in duello Davidis cum Goliato) vel ob eaſdem cauſas videretur expediens illud hoſti offerre.

3. Si duobus juſtè damnatis ad mortem, mandaret judex, ut duellum committant eâ lege, ut victori vita condonetur: quia tunc hoc facerent, ut juſtæ ſententiæ executores. Cæterùm in eo non licet judici recedere à formâ conſuetâ judiciorum, ut DD. communiter.

Non eſt probanda ſententia eorum, qui docent ſi quis te apud judicem iniquè accuſet, & vitam tuam in diſcrimen adducat, nec ſit alia via evadendi, duellum eo caſu ab injuſto calumniatore oblatum, poſſe acceptari, aut etiam calumniatorem judicis permiſſu, poſſe ad illud provocari, cùm hoc totum videatur pertinere ad juſtam vitæ defenſionem.

Quod autem docuere nonnulli, licere talem calumniatorem occultè occidere, ſi alia via non ſuppetat, omninò rejiciendum eſt, cùm ſic aperiretur via innumeris cædibus; facilè enim quiſque ſibi perſuaderet ſe injuſtè ab alio per calumniam ad mortem peti. Hinc meritò ab Innocentio XI. damnata eſt hæc propoſitio inter 65. 20ª. *fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.*

Q. 2. *Quibus caſibus duellum ſit illicitum?*

R. Generaliter, exceptis prædictis caſibus, aut

ſimilibus, ſemper cenſeri debere illicitum; ſpecialiter autem illicitum eſt ſequentibus caſibus.

1. Si ineatur ad meram virium, vel artis gladiatoriæ oſtentationem, aut ad oblectandos ſpectatores, prout olim fiebat in Amphitheatris.

2. Si fiat ad explorandam alicujus rei veritatem; qualiter olim judices ſolebant in rebus obſcuris accuſatorem, & reum inter ſe committere, & eum, qui in duello eſſet inferior, pro reo habere.

3. Si fiat ad vindicandam ſibi illatam injuriam; nam vindicta fieri debet authoritate publicâ, non privatâ, itemque ſine periculo injuriam paſſi; quod non contingit in propoſito.

4. Si ſuſcipiatur ad vitandam illam imaginariam ignominiam, ſeu notam ignaviæ, & timiditatis, quam cenſetur incurrere, qui oblatum duellum non acceptat. Hinc ab Alexandro 7. damnata eſt hæc propoſitio. *Vir equeſtris ad Duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Ratio eſt, tum quia apud prudentes, & probos, nulla reipsâ incurritur ignominia, ſi recuſetur duellum, ut pote divinis & humanis legibus prohibitum; tum quia, quæcumque ſit illa ignominia, non tamen popter illam licitum eſt provocantem duello impetere, quia provocans non infert tibi vim, ſed ſolummodo invitat; nec ſuâ invitatione facit tibi ullam ignominiam, ſed ea ſequitur ex duelli repulsâ, non per ſe, & ex rei naturâ, ſed per accidens, ex pravâ diſpoſitione, & perverſo judicio hominum.

Adde qualemcumque apprehenſam ignominiam, eſſe aliter declinabilem: ut ſi vir equeſtris provocatus, profiteatur ſe Deo, & Regi nolle eſſe inobedientem; cæterùm ſe provocantem non timere. Nec propter ipſum deſtiturum comparere in publico; non eſt tamen probanda illorum ſen-

tentia, qui dicunt, provocato ad duellum licitum eſſe reſpondere ſe venturum ad locum condictum, etſi non cum intentione abſolutâ pugnandi, ſed vel audiendi quid provocans velit, & pacem componendi, ſi adduci poſſit; & tantùm cum voluntate conditionatâ pugnandi, ſi pacem nolit: hoc enim reipsâ eſt acceptatio duelli, & merus prætextus ad eludenda Pontificum, & Regum decreta, circa duellum.

Nec refert, quòd vir nobilis ab alio impetitus, non teneatur fugere, ſed poſſit, ſi opus ſit, etiam occidere aggredientem. Diſparitas enim eſt, quòd in iſto caſu vir nobilis patiatur vim, quam non tenetur fugâ ſibi ignominioſâ declinare, ſed poteſt vi repellere; at provocatus ad duellum, nullam vim patitur ſed tantùm ad illud invitatur, ut explicatum eſt.

Q. 3. *Quæ ſint pœnæ duelli illiciti?*

R. Eas contineri in Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. de reform. Ubi decreta eſt excommunicatio. 1. in Principem, qui locum ad monomachiam, ſeu duellum, in terris ſuis inter Chriſtianos cōceſſerit, cū privatione dominii loci, in quo commiſſa fuerit.

2. In eos, qui pugnam commiſerint, & eorum patrinos, ut vocant, cum proſcriptione bonorum, perpetuâ infamiâ, & pœnis homicidarum; & ſi in conflictu deceſſerint, privatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ.

3. In ſuaſores, & ſpectatores duelli; & quamvis aliqui dixerint Tridentinum tantùm agere de duellis ſolemnibus, tamen Clemens 8. & Greg. 13. pœnas illas extenderunt ad duella particularia; & ad ſcribentes, mittentes, ac divulgantes chartulas provocatorias, eorumque fautores, & complices. Et ſpecialiter Clemens 8. voluit excommunicationem eſſe reſervatam Pontifici. Vide de his Sanch. lib. 2. in decal. c. 39.

Digitized by Google

Circa hæc notanda ſunt ſequentia. 1. Eum non incurrere pœnas duelli, qui occurrens inimico ſuo, aut rixâ coortâ, provocat alterum ad hîc & nunc pugnandum: quia hoc non eſt propriè duellum, cùm non ſit pugna ex condicto.

2 Probabiliter non cenſeri ſpectatores, qui fortuitò tranſeuntes, duellum obiter aſpiciunt, aut qui tantùm ex occulto ſpectant, aut ex loco tam diſtante, ut moraliter non cenſeantur eſſe præſentes.

3. Probabiliter eos ſolos privari ſepulturâ ſacrâ, qui in loco conflictûs mortui ſunt, adeoque pœnam illam non incurri ab eo, qui inde elatus alibi moritur, quamvis ex vulnere in duello accepto. Diana, Ioannes Sancius &c. contra nonnullos.

4. Templum, aut cœmeterium, per morientis in duello ſepulturam, non pollui docet Duvallius: quia ſolùm polluitur per ſepulturam excommunicati non tolerati, qualis non eſt duellator. Contrarium tamen conſtitui videtur in manuali Atrebatenſi tit. de exequiis &c. art. 5.

Cæterùm videndum eſt quo uſque pœnæ iſtæ in provinciis receptæ ſint; nam juxta Layman lib. 3, tr. 3. p. 3. c. 5. Germani, aliique ſeptentrionales, ſive ob ignorantiam, ſive quia dictorum Pontificum conſtitutiones promulgatæ, & in uſum receptæ non ſunt, à cenſurâ excuſari videntur. Ita ipſe. E contrà Duvallius q. 17. in fine dicit has coſtitutiones, quamvis in Galliâ promulgatæ non ſint, eſſe tamen uſu receptas, eo quòd ibi etiam privata duella committentes, tum aliis pœnis puniantur, tum Eccleſiaſticæ ſepulturæ privatione. In Belgio eos, qui in duello moriuntur, privari ſepulturâ ſacrâ, patet ex Paſtorali Mechlinienſi, Atrebatenſi, &c. in quorum poſtremo (conformiter ad rituale Rom.) additur etiam ſe-

pulturâ privandos, quantumvis ante mortem ſigna pœnitentiæ dederint; in quo tamen caſu poſſe Epiſcopum diſpenſare, docet Duvallius.

§ VI.

De Scandalo.

Q. 1. *Quid ſcandalum, & quotuplex?*

R. Scandalum ex Hieron. & S. Tho. q. 43. art. 1. eſt dictum, vel factum, minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis. Eſt duplex, activum, paſſivum.

Activum eſt illud quod jam deſcripſimus; Paſſivum eſt ipſa ruina ſpiritualis ejus, qui peccat, occaſione acceptâ ex dicto, vel facto alterius.

Paſſivum ſubdividitur in datum, & acceptum, datum eſt, quod oritur ex activo jam deſcripto. Acceptum ſeu purè paſſivum eſt, quod quis accipit ex dicto, vel facto alterius, quod tamen ex parte ſuâ non cenſetur moraliter illi præbere occaſionem ruinæ.

Dividitur in ſcandalum puſillorum, quod oritur ex infirmitate vel ignorantiâ ejus, qui ſcandalizatur; & in aliud, quod oritur ex purâ malitiâ, & dicitur phariſaïcum, quia Phariſæi hoc modo, & Doctrinâ, & factis Chriſti ſcandalizabantur.

Q. 2. *An ſcandalum ſit ſpeciale peccatum exprimendum in confeſſione?*

Nota, tribus modis nos poſſe alterum inducere ad peccandum. 1. Directè, & formaliter intendendo ejus ruinam ſpiritualem ut ſic.

2. Directè incitando illum ad actum peccati, non quia malum ejus eſt, ſed ob utilitatem, aut oblectationem, ſeu ſuam, ſeu alterius.

3. Indirectè, ſive faciendo aliquid, ex quo ille,

Digitized by Google

præter intentionem tuam inducitur ad peccandum; ita tamen, ut ſis illi aliquo modo cauſa peccati, in quantum poſſes, ac deberes ſcandalum illud impedire. Hoc prænotato.

R. 1. Qui 1. modo inducit alterum ad peccandum, directè intendendo ruinam ejus ſpiritualem, peccat ſpeciali peccato ſcandali; & prçter malitiam peccati, ad quod inducit v. g. furti, homicidii &c. incurrit ſpecialem malitiam charitati fraternæ directè repugnantem, & exprimēdam in confeſſione; ita DD. paſſim cum S.Tho. art. 3.

R. 2. Qui 2. modo alium inducit ad peccandum, contrahit duplicem malitiam; unam contra virtutem, cui repugnat actus, ad quem inducit, alteram contra charitatem proximi, utramque explicandam in confeſſione, dicendo v. g. Ego conſilio meo induxi proximum meum ad tale, vel tale peccatum.

An autem is, qui ſolùm 3. modo dat alteri occaſionem peccandi, ſupra malitiam ſcandali, etiam contrahat malitiam peccati, ad quod dat occaſionē variāt sētētiæ. Affirmât plures, Negat Lugo diſp. 16. de pœnitētiâ n. 159. favente Navarro in ſummâ & Suario, hîc ſect. 2. n. 9. Ratio ejus eſt, quia obligatio, quâ habemus ad impediendum proximi peccatum, v. g. omiſſione alicujus actionis, ex quâ, tamquam occaſione, prævidetur futurum, non oritur ex virtute, cui opponitur illud peccatum, ſed tantùm ex charitate univerſaliter obligante ad impediendum proximi peccatum, quando poſſumus, ergo non impediendo, ſive ponendo illam actionem, tantùm peccatur contra charitatem.

Confirm. quia omiſſio correctionis fraternæ, quando ad illam tenemur, tantùm eſt peccatum oppoſitum charitati, non verò virtuti, contra quam frater peccat; ergo hîc ſimiliter.

Ex hoc principio inferunt Lugo, & Navar-

tus, ſat eſſe in confeſſione dicere, præbui aliis occaſionem gravis peccati, nullâ factâ mentione ſpeciei ejus; malim dicere cum Coninck, & Granado, etiam dato, quòd tali caſu propriè ſolùm peccetur contra charitatem, peccatum tamen iſtud, pro diverſitate peccatorum, ad quæ proximus inducitur, ſufficienter diverſificari ad inducendam obligationem exprimendi in confeſſione, ad quod peccatum induxerit.

Ex eodem principio infert Lugo, & probabile putat Oviedus, ſi quis ſuo peccato, abſque intentione directâ nocendi, præbeat ſcandalum adſtantibus, v. g. coram pluribus loquendo turpia, non eſſe neceſſe, ut determinatè exprimat numerum, nec conditionem perſonarum, quæ ſcandalizantur; quamvis in hoc ſentiat contra communem, adeò ut Diana 3. p. de ſacramentis reſp. 114. arguat confeſſarios ignorantiæ, qui de his circumſtantiis pœnitentes non interrogant, eoſque appellet cœcos, duceſque cæcorum.

Ex his collige juxta communem etiam in peccatis, quæ abſque complice non committuntur, ut eſt v. g. fornicatio, circumſtantiam inductionis eſſe neceſſariò exprimendam, quando ſaltem ea non intelligitur ex circumſtantiis; ita ut v. g. ex naturâ rei non ſufficiat dicere, peccavi cum fœminâ, ſed addendum ſit, & induxi illam ad peccandum mecum; oppoſitum tamen quoad talia peccata ſimpliciter tenent Vaſquez 3. p. q. 91. dub. 4. n. 6. Lugo diſp. 16. de pœnit. n. 142 & probabile putant Moerat. diſp. 27. de pœnit. ſect. 4. & Palao hic, favetque hæc ratio quod malitia talis circumſtantiæ, videatur contineri in ipsâ cooperatione ad peccatum alterius, proindeque per illam circumſtantiam peccatum ſolùm aggravatur intra eamdem ſpeciem.

Q. 3. *An peccet peccato ſcandali, qui determinate*

ad committendum peccatum majus, ſuadet, ut committat minus?

Affirmant, Gabriel, Cajet. Valentia, Layman, Palao, &c. quia 1. per ſe malum eſt, inducere alium ad quodcumque peccatum, ergo nullo caſu eſt licitum. 2. Alter non eſt determinatus ad peccatum, quod ſuades (ut ſuppono) ſed ad aliud: ergo tu illius peccati author es, & vera illius cauſa moralis.

Negant Vaſquez, Sanch. Leſſ. Gran. Sylvius &c. cum Navarro, Angelo, Soto, & aliis apud Dianam p. 3 tr. 5. R. 37. cum quibus.

R. Probabilius videri, quòd non peccet, ſupple, ſi non ſit alia ratio illum avertendi à peccato graviori; & 1. quidem ſi alter decreverat tàm peccatum gravius, quàm levius committeré, ut ſi v. g. ſtatuerat occidere Petrum, ejúſque pecunias furari, poteſt ei ſuaderi, ut ſit contentus furto, & abſtineat ab homicidio: quia tunc propriè non ſuades illi minus peccatum, ſed tantùm omiſſionem majoris; ſimiliter quando minus, eſt pars incluſa in majori, ut ſi determinato ad furandum 100. ſuadeas ut ſit contentus 50.

2. Idem dicendum videtur, ſi alter apud ſe ſtatuerat, aut occidere, aut furari, poſſe ſcilicet ſuaderi, ut furetur, potiùs quàm occidat; quod admittit etiam Cajet.

3. Etiam in caſu, quo alter ſolùm ſtatuiſſet aliquem occidere, probabile eſt poſſe ei ſuaderi, ut potiùs furetur: quia ſicut verum eſt potiùs furandum eſſe, quàm occidendum; fornicandum, quàm adulterandum, &c. ita poteſt proximus induci, ut illud potiùs, quàm hoc faciat; dummodo ſemper expreſſè, vel tacitè addatur hæc conditio: ſi omninò peccare decreverit.

Monent tamen DD. cavendum eſſe ne parato graviter alicui nocere, ſuadeas ut alteri, de quo non

non cogitabat ; minus aliquod damnum inferat ; quia tunc faceres injuriam illi tertio ; niſi eæ eſſent circumſtantiæ , in quibus ille meritò cenſeretur non invitus : hinc determinato ad furandum pauperi , non licet ſuadere , ut potiùs furetur alicui diviti in particulari , ut communiter DD. contra Vaſq. Dixi *alicui in particulari* , quia plures putant licere , ſi non determinetur ullus in particulari. Mol. Sanch. &c.

Ad 1. rationem in oppoſitum R. eſſe quidem per ſe malum , inducere ſimpliciter ad quodcumque peccatum ; non verò ſic inducere , ut peccatum aliquod abſolutè non ſuadeas , ſed tantùm , ut ſi peccare velit , potiùs hoc , quod minus eſt , eligat : quia tunc eum , qui abſolutè determinatus eſt ad peccandum , tantùm inclinas ad electionem peccati minoris ut ſic , quod moraliter eſt ſolùm inclinare ad carentiam peccati majoris.

Ad 2. Negatur conſequentia : quia ex vi conſilii ſolùm retrahitur à peccato majori : ad minus autem peccatum cenſetur determinari ex ſuâ malitiâ , quâ alioqui jam abſolutè peccare decreverat. Vide Granad. in 1. 2. ad q. 14. S. Th.

Q. 4. *An fœmina quæ credit ſe ab aliquo concupiſcendam , ſi foras exeat , teneatur omittere auditionem Sacri ad vitandum alterius ſcandalum?*

R. Cum communi non teneri omittere , ſi tantùm indeterminatè & vagè exiſtimet futurum aliquem , qui ex ſuo aſpectu ſumat occaſionem peccandi : cùm enim ejuſmodi periculum ſit frequens, & quotidianum ; eſſet onus nimis grave , ſi fœminæ idcirco ſemper deberent publico abſtinere. Quòd ſi prævideat ſe futuram hîc & nunc alicui in particulari occaſionem peccandi mortaliter ex infirmitate , tenetur ſemel & iterum , non tamen ſemper , aut longo tempore , aut cum aliquo ſpeciali incommodo etiam die Feſto Miſſam omit-

Digitized by Google

tere. Azor, tamen Granad. Vaſquez &c. cum Paludano, Sylveſtro, Angelo, & aliis; generaliter exiſtimant, non teneri idcircò fœminam abſtinere ab impletione præcepti.

Q. 5. *An mulier ſuperfluè ſe ornans, aut abſque neceſſitate, vel utilitate, ſe virorum conſpectui offerens, peccet peccato ſcandali, ſi prævideat ſe ab aliquo turpiter amandam?*

Quoad 1. R. ſi ornatus ſit honeſtus, & ordinarius juxta morem Patriæ, & qualitatem perſonæ, per ſe loquendo non teneri fœminam eo abſtinere ob periculum ſcandali; ſi autem ornatus ſit extraordinarius, & præter Patriæ conſuetudinem, putat Granadus non eſſe excuſandam à mortali, ſi prævideat, ſive in genere, ſive in particulari, ſe alicui futuram occaſionem lapsûs. Alii tamen, ut Navarr. Sànchez Palao &c. putant excuſari poſſe, quando periculum eſt tantùm generale.

Quoad 2. ſi abſque ullâ causâ, ſed ex merâ vanitate offerat ſe conſpiciendam, ei à quo determinatè prævidet ſe turpiter amandam, non videtur poſſe excuſari à mortali.

Atque ex his ſolvi poterunt ſimiles alii caſus circa ſcandalum, ut de habentibus imagines ſcandaloſè nudas, publicè expoſitas &c.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Digitized by Google